

*Si quidem ea dixerint quae, in nobis corri-  
genda sunt, emendabunt; siq[ue] alia, ni-  
bit ad nos.*

Laert. in Vit. Socrat. num. 36.

# S E R I E S

MORBORUM CUTANEORUM

PARTIUMQUE GENITALIUM

A U C T O R E

LEONHARTO FRONTONIO

MEDICO NEAPOLITANO.



N E A P O L I M D C C L X I I I .

EX TYPGRAPHIA SIMONIANA.

*Superiorum Permissu.*



ILLUSTRISSIMO VIRO  
BERNARDINO  
VALENTINO  
JURISCONSULTO, ET ADVOCATO  
STRENUISSIMO

LEONHARTUS FRONTONIUS  
S.



Atrocinium nonnulli , VA-  
LENTINE clarissime , prae-  
mium ceteri ut assequantur,  
selectissimis viris libros suos  
vovent : quem ego morem , ut fac-  
pe ab Auctoribus , saepissime ab E-

ditoribus receptum , haud sequi pas-  
sus sum , quum Tibi , rarissimi exem-  
pli Viro , me , laborumque meorum  
primitias offerre decreverim . Altius  
enim ab animo tuo , sapientiaeque  
illo recondito thesauro abreptus sum ,  
quem eleganti genere dicendi , egre-  
giaque scribendi forma ubique sali-  
bus , venustate , sententiarumque pon-  
dere referta , mirifice declarasti . O-  
mnigenamque eruditionem tuam spe-  
ctavi tum in Legibus , solidaque  
Philosophia , cum vel in ipsa Me-  
dicina , ac Poësi , Divina , profana-  
que Historia , quam docti , indocti-  
que ita suspiciunt , ut nemo grave-  
tur adhuc gratus confiteri , se nun-  
quam ad oraculum tuum accessisse ,  
quin doctior redierit . Saepe autem  
mecum ipse recolo , quoties Tu cla-  
rissima mentis acie in gravissimis  
rebus non Clientes solum , sed &  
ipfos juris Doctores cespitantes pru-  
denti consilio tuo ita firmasti , ut  
mo-

modo nodos solvens, densissimis modo tenebris praeclaram lucem affundens, devios ad rectum aequi, iustique tramitem ducere potuisse unus videbare. Accedit his eo praeclarior, quo rarer, ac forte ad hunc diem inaudita animi tui moderatio, qua dum plura inedita praeclara ingenii monumenta domi servas, ea despicias adhuc, ut vel nolens ostendas, Te gloriae illecebris, eruditorumque plausu vix moveri, plurisque possessum facere verae, solidaeque doctrinae, quam praeclaram licet, frugiferamque nominis ostentationem. Neque silentio transigenda est ingens illa Auditorum tuorum corona, quae non sub Aprutino tantum, sed sub hoc ipso Neapolitano Caelo, ita jam floret celebritate famae, ut satis ostendat, primas in eorum parta meritis fortuna, optimi Praeceptoris esse partes. Ideo non minor

ror insigni adolescentium numero ornatissimam domum tuam quotidie frequentari, quando non sola ingenii, qua emines, perspicacia, sed singulari illa, ac plane inimitabili docendi arte inviti alliciuntur, ac concalescunt inertes. Vitae vero sobrietatem si velim enarrare, Te philosophorum abstinentissimo conferre debeam. Fortunae bona omnia, quibus circumfluis, cur modo non memorem? Etsi in iis nullam fortunae vim, sed praeclarae virtutis opera unice agnoscam. Neapoli hinc merito patet, Provinciis sonat, clarescit undique VALENTINI nomen; cuique enim sive citerioris, sive ulterioris Aprutii eloqui fert occasio, a Te semper incipit, definit in Te praeconium omne. Taceo illustres viros de Te egregie sentientes, ut unum spectabilem dicam S.R.C.  
PRAESIDEM JOSEPHUM ROMANUM,  
quem nunquam convenio, quin me  
sol-

follicite de Te saepius interroget .  
Jamque animo meo insidet celebre  
illud illustris olim , immaturoque  
fato ( heu ! ) bonis omnibus erepti  
**JULII CAESARIS AB ANDREA**, effatum,  
qui cum Te saeculi , forique nego-  
tiis abrenunciatis , Ecclesiastico coe-  
tui adscriptum intelligeret , aequum  
esse , inquit , ut qui litteris insignis vi-  
xit , pietate quoque insignis effulgeat .  
**EXCELLENTISSIMO CAROLO DE MAR-**  
**CO REGIS NOSTRI** a Secretis  
aequissimo rerum , hominumque ae-  
stimatori virtus tua tantum per-  
specta est , quantum omnes in litte-  
raria Republica aperte jam norunt.  
A cantu quis autem temperet ex-  
peditissimum Arcadem ONESSUM BO-  
LIMAEIUM ( a ) , qui lib. suo de  
Teatinorum laudibus Te benemeris-  
tum civem gravissimo hoc carmine  
salutavit : *Jure VALENTINUM quid*  
*le-*

(a) Nempe P. Gaetanum Romanum à S. Mar-  
garita Schol. Picrum :

*legum Heroa peritum &c.*

Tibi igitur gratulor , quod sextum supra septuagesimum annum a-  
gens , vultu tamen adhuc florido ,  
urbano , comi , laeto , eodemque  
gravi , musculis nervisque potens  
incedis , corporisque habitudine adeo  
firma , solidaque gaudes , ut omnia  
longissimae vitae certa habeas pre-  
fagia . Tibi itaque strenuissimo Vi-  
ro , Tibi sapientissimo litterarum pa-  
renti hoc munusculum devoveo ;  
quod ut aequo animo admittas , e-  
tiam atque etiam rogo . Ubi enim  
aberrationes , lapsusque meos , ea ,  
qua soles lima , & candore , offendes ,  
votorum omnium mihi sum-  
ma erit ; fateorque me summi mu-  
neris loco id officii suscepturnum , si  
benigniter correxeris . Vale interim ,  
Teque ad virtutum ; & litterarum  
cultum , ad amicorum delicias ; ad  
praecipuum Teatinae urbis ornamen-  
tum natum Te sospitet Deus .

REI MEDICAE  
STUDIOSAE IUVENTUTI.



Eriem morborum Cutaneorum, partiumque Genitalium tibi sisto, quam in publicis, privatisque lectionibus tradebam prius. Quid boni praestiterim in hisce morbis expendendis te iudicem expecto, cuius etiam ministerio humana progenies ex tot calamitatibus redimenda mox committetur. Nihil enim tam cumulate de illis edisserui, ut ad fastidium adducta res videatur. Nihil temere effatus, ne aegrotantium periculis discas. Nihil obscure, ne faciliorem viam progressuro tibi praepediam; sic ut brevi omnia, perspicua, tauriorique methodo, quoad potui, complexus sim. Ne mo interim putet, ut alieno tantum labore in Artis exercitio disertus fiat; nullum enim doctiorem librum adhuc inveni, quam aegrum ipsum. Aegro igitur ut proficias, aegrum prope his praeceptis opportune utere, & vale.

# INDEX

## MORBORUM CUTANEORUM.

	pag. 9.
<b>D</b> Urities, & siccitas cutis.	12.
Scabies	
<i>Lichen, Herpes, Zona</i>	15.
<i>Lepra, Elephantiasis</i>	19.
<i>Vitiligo, Alphos</i>	22.
<i>Melas, Leuce</i>	ibid.
<i>Variolae</i>	23.
<i>Clavi</i>	25.
<i>Vari</i>	27.
<i>Phlicteneae</i>	ibid.
<i>Syrones</i>	ibid.
<i>Efferes</i>	28.
<i>Roseolae saltantes</i>	ibid.
<i>Perniones</i>	29.
<i>Carbunculus</i>	30.
<i>Epynictides</i>	31.
<i>Terminthus</i>	32.
<i>Furunculus</i>	33.
<i>Panaritium</i>	ibid.
<i>Ulceræ venerea</i>	34.
<i>Verrucae, Myrmecia, Acrohordon</i>	38.
<i>Cryphae, Ficus, Thymus</i>	39.
<i>Defluvium Capillorum</i>	40.
<i>Alopecia</i>	ibid.
<i>Canities</i>	ibid.
<i>Pediculatio</i>	43.
<i>Porrigo</i>	ibid.
	<i>Acho-</i>

<i>Achores</i>	44.
<i>Tinea</i>	<i>ibid.</i>
	<b>Maculae quaedam cutis,</b>
<i>Ephelides</i>	45.
<i>Lentigines</i>	<i>ibid.</i>
<i>Maculae Epaticae</i>	46.
<i>Gutta rosacea</i>	<i>ibid.</i>
<i>Maculae Erysipelatosae</i>	<i>ibid.</i>
<i>Maculae Scarlatinæ</i>	48.
	<b>Reliquæ cutis laesiones.</b>
<i>Contusio</i>	<i>ibid.</i>
<i>Combustio</i>	50.
<i>Rhagades</i>	51.





# S E R I E S.

## MORBORUM CUTANEORUM.

### §. 1.

Uum interni morbi in intimis humani corporis penetralibus latentes sint ; intellectu quoque difficiliores erunt . Morbi contra externarum partium , quia sensibus patent , faciliores .

§. 2. Omnis autem ordinata doctrina a facilioribus ad difficiliora pergit . Internis ergo morbis externos praemittimus , ut sic salutarem hanc artem addiscendi forte prodeesse valamus .

§. 3. Inter exteriores corporis affectiones , cutis peculiares morbi eminent , qui scilicet ad magnos , sensibilioresque tumores non reducuntur . Horum itaque provinciam nunc , demonstrativa methodo , aggredimur , reliquos eadem lima expolitos tradituri .

A

§. 4.

## 2 SERIES MORBORUM

§. 4. Ut autem completa fiat cutaneorum morborum notitia, in duas partes propositam seriem dispescimus. In prima de morbis cutis in genere; in altera de morbis cutaneis in specie differemus.

---

## P A R S I.

### DE MORBIS CUTIS IN GENERE.

§. 5.

*C*onveniens naturae est, inquit Aristoteles, communia primum exponere; tum ea, quae cujusque propria sunt, contemplari. Quaedam enim sunt, quae sciri rite nequeunt, nisi ad ea probe praeparati accedamus.

§. 6. Singulorum itaque vitiorum cutim invadentium progeniem exposituri, nonnulla prius, duce Anatomia, & experimentali Philosophia, memoriae revocare opportunum censemus; alias enim in illum inanem incideremus laborem, in quem incidit is, qui horologii machinam oblitus, ejus infirmum, & inaequalem motum explicare conatur.

§. 7. Primo autem de cuticula dicendum est. Ortum enim haec habet a ductuum cutis excretoriorum, & fibrillarum nervearum, & tendinosarum expansione, quae minimas squamulas, sive lamellas sibi invicem cohaerentes pulcherrime praefert.

§. 8.

## CUTANEORUM. PARS I. 3

§. 8. Cutis structuram habet ex fibris tene  
dineis singularibus, tenuissimis, mire implexis,  
vasis sanguiferis tenuissimis, nervisque simul py  
ramidales papillas constituentibus.

§. 9. Glandulae sebaceae, nec non miliares  
hic statuuntur, cutim illinientes, atque hume  
ctantes; quarum scilicet ope cutis non aspera  
sed laevis; non callosa, sed sensilis; non rigi  
da, sed obsequens conservatur. Ad nares, ad  
pubem, ad penem, ad genua &c. has glandu  
las sebaceas potissimum observat Morgagnus,  
quarum si pinguis humor exaruerit, in furfu  
raceam abit materiam; quod quidem pro cu  
tanearum affectionum explicazione adnotamus.

§. 10. Nutritur Cutis succo roscido lymphati  
co, qui ex tubulis arteriolarum exudat, cu  
tisque filamentis apponitur. Prout igitur hic  
succus colore, atque textura differt, cutis etiam  
colorem & texturam differre, demonstramus.

*Scholium.* Bilis enim in ictero dum regur  
gitat ad lymphae & sanguinis massam, flave  
scit cutis. Atque hinc ex cutis colore immu  
tato interidrem quoque corporis statum, & vi  
tia cognoscere possumus, & solemus.

§. 11. Verum inter cuticulam, & cutim re  
ticulatum corpus, sive tenuissima membrana  
innumeris minimis foraminulis, reticuli instar  
perforata, invenitur; in iis maxime locis, ubi  
cutis sensus exquisitissimus inest.

§. 12. Hinc vasculorum cutis laesiones, vel  
reticuli sive a salinis particulis, vel succorum  
intemperie, sive ab animalculis factae, cuta  
neo-

## SERIES MORBORUM

neorum morborum causae esse possunt.

§. 13. Alimenta enim, tum potulenta, fassis, sulphureis elementis scatent, quae in vasis majoribus a sanguinis impetu, & elatere canarium impulsae, nullam, vel minimam canalibus ipsis impressionem concitant.

§. 14. Ubi tamen in cutim adiguntur, in qua minimi, impliciti, & irregulariter pressi canales existunt, in papillas, & vascula vim exerunt; adeoque pruritum, vel pustulas producent.

§. 15. Nil quoque sollemnius est, quam si lautum vivendi genus accesserit, cutaneis morbis infestari. In crescens enim in dies humorum copia, tardiorum circulum, atque impeditam succorum depurationem efficit; ergo non potest non inde sanguis sensim, paulatimque variis impuritatibus repleri.

§. 16. Non raro autem accidit, ex tono cutis deiecto cutaneos morbos quoque derivari.

*Schol.* Unde ratio patet, cur hecticis, & languentibus perquam familiares sint copiosi sudores, & pustulae pruriginosae? Eam videlicet ob rationem, quia ex relaxatis tubulis serosa sponte proiicitur tenuior pars. Inspissatae interim moleculae aliae in vasculis haerent, ibique frequenter exanthemata pruritu admotum molesta apparent.

§. 17. Cutaneis morbis favet etiam cutis nimis rigida, tensa, dura, instar tympani, vel ligni, sensu adhuc praedita, vel omnino destituta.

§. 18.

## CUTANEORUM. PARS I.

5

§. 18. An non quandoque in aere nos ambiante tales stimuli haerere possunt, quibus cutis vascula irritata constringantur, & exanthemata producantur?

*Schol.* Reaumur certe tot pulcherrimarum rerum inventor, dum erucarum nidos tractabat, mirabatur manus, & imprimis circa digitorum interstitia molesto pruritu affici; dein faciem, & oculorum palpebras inflammari, perque integrum quatriiduum manere pruritum & inflammationem. Frustra lavabat manus aqua; oleo, spiritu vini; manebat molestus ardor, invenit autem, pilos minimos ex erucarum relictis exuviiis, dum in crysalides, & papilioes mutantur, excussos cuti infigi, illosque rigidos, instar spinarum minimarum cutim pungere, & irritare.

§. 19. Docet autem experientia, tam crebro exanthemata, reliquaque cutis deturpationes progigni ab aere admisso frigido, humido, noxiisque vaporibus replete.

*Schol.* Quare homines demissis, & vappidis domiciliis, paludibus, & locis aquarum inundationi obnoxiis accolentes, rursus carceribus inclusi, & populi frigido-humidum septentrio-nis axem spectantes, praे omnibus, infestari solent cutis morbis.

§. 20. Huc quoque spectant ciborum incongruorum usus, ut carnes fumo & sale induratae, vel nimis pingues; fructus horaei, dulcia &c. Ex potulentis vina acida, austera, & ipsae aquae impurae; quibus si vita defes, &

A 3

se

## 6. SERIES MORBORUM

sedentaria adiungitur , nil aptius ad cutis vi-  
tiorum familiam progignendam invenitur.

§. 21. Ut plures autem morbos , sic quo-  
que pravas cutis passiones sollemni fere modo,  
& quasi microcosmica lege , secundum aetatis  
differentiam , certas partes invadere , observa-  
mus.

*Schol.* Infantilis enim aetas achoribus , ti-  
nea capitis &c. admodum frequenter laborat .  
Juventutis periodum claudit plerumque scabies,  
herpes , aliaque vitia in primis manus , bra-  
chia , dorsum occupantia . Sed ingruente senio  
cutis fit rigida , faeda , intractabilis . Pruritus  
etiam in ano , scroto , perinaeo persentitur .

§. 22. Verum omnes subcutanei affectus con-  
tagio maxime serpunt , & inficiunt ; majorem  
que molestiam aegris ferunt , dum corpus fo-  
vetur .

§. 23. Unde elucet ex his , cutaneorum mor-  
borum causas non semper ex intimis machinae  
partibus ortum suum habere ; hinc pro varie-  
tate causarum , varia quoque esse solet meden-  
di ratio .

§. 24. Ad hoc autem , quod attinet , non  
multum a communi Practicorum sensu , & con-  
suetudine discedemus .

§. 25. Et primo reticendum non est , Grae-  
cos , & Romanos familiariter balneo , & gy-  
mnastica usos esse ; quae duo licet totum corpus  
commovere apta sunt , peculiari tamen facul-  
tate cutim respiciunt .

*Schol.* Haec enim aquae calidæ , modo te-  
pi

## CUTANEORUM. PARS I. 7

pidae contactu, additis frictionibus, mirum in modum detergitur; tum referatis canalium minimorum osculis, perspirabilior redditur.

§. 26. Ex his itaque inferre licet, priscos homines ex utraque gente, cutis morbis minus, quam nos, obnoxios vixisse.

§. 27. Quo fundamento, balnea tam naturalia, quam artificialia, tum ad cutis poros aperiendos, cum ad squamosas fordes abluedas, & detergendas commendamus.

§. 28. Quoniam vero nullum medicamentum, licet praestantissimum, optatum auxilium parit, nisi debitissimae cautelis administremus; summo itaque studio laborandum in causis exquisite inquirendis, & distinguendis.

§. 29. Peccant in hoc maxime ignavi Chirurgi, qui nimis audaces ut plurimum sine Medico soli perarduum curationis opus aggrediuntur unctione, ustione, balneo, sectione.

§. 30. Quod vero sicut malitiosum proboque homine indignum est; ita, nequis externis fidat, interna negligens, etiam atque etiam monemus; si praesertim causa ex intimis partibus ortum habeat.

§. 31. Si enim ob nimiam voracitatem, ciborumque incongruorum usum, vitamque desidem §. 20., humorum abundantia in culpa sit, exercitio atque abstinentia opus est.

§. 32. Si crudi lentique humores, sub phlegmatico praesertim temperamento, in cutis vasculis haereant, morboque causam suppedinent, evacuantia per alvum, infusa vinosa,

A 4<sup>o</sup> quae-

## SERIES MORBORUM

quaeque transpirationem leniter movent, praecipienda sunt.

§. 33. Si corpus plethoricum sit §. 15. & ab omisla sanguinis missione, vel critica sanguinis fluxione exhibita, faedae cutis asperitates, & exulcerationes orientur, initium curationis a venae sectione faciendum, eaque propinanda remedia, quae salutares has evacuaciones revocant.

§. 34. Ubi viscerum imbecillitas regeneracioni succorum impurorum favere animadvertisimus, ventriculum roborantia, quaeque digestionem secundant, insignem ferent opem.

§. 34. Quod si prohibita insensibilis transpiratio ex aere humido §. 19., cutis interceptio, sive obstructio mali praecipua causa sit, insuffisis theiformibus, leviter diaphoreticis, motu, coeli mutatione, frictione recludere occlusos meatus, Medicum decet.

§. 36. Suppetunt autem exempla, a lue venerea cutis affectiones etiam pendere; tunc aquis antivenereis, vel linimento mercuriali, post quem lotio ex aqua aluminosa confert, mercandum est.

§. 37. Si cutis pustulae, vel exulcerationes faedae criticae sint, spectatorem agere convenient, nihil omnino mutans, nihil urgens, sed blandis diaphoreticis & diluentibus, naturae opus solum adiuvandum.

§. 38. Si ab infectis, unctionibus oleosis, sulphureis, mercurialibus procedendum. Si a Tcorputo, vel cachexia non curatur, nisi cache-

## CUTANEORUM. PARS II.

chexia, vel scorbutus emendetur.

§. 39. Sed age, singularium morborum historiam, & curationem proprius expediamus.

---

## P A R S II.

### DE MORBIS CUTANEIS IN SPECIE.

#### DURITIES, ET SICCITAS CUTIS.

§. 40.

Inter raros, & mirabiles morbos, insignis duries, & siccitas cutis merito referenda est.

§. 41. Hoc morbo tamen cutim duplieiter plecti posse, mihi persuasum est.

§. 42. Vel enim tota fere cutis rigida est, instar membranae tympani bellici tensa, atque etiam subfrigida, nihil ad contactum sentiens, etiamsi acu pungatur, vel ignis admoveatur.

Schol. Casum hunc illustrat Diemerbroek exemplo feminæ, quæ consilii causa ad ipsum accessit. Membra omnia satis movebat; cutis ipsi rigida, instar membranae tympani tensæ, ea tamen nihil contactu sentiebat, ita ut si aciculis pungeretur, vel ignis ei admoveretur, nihil malo, aut doloris inde perciperet; verum si acicula vel acus adigeretur profundius, usque ad aliquem musculum subjectum tunc illico internum musculi dolorem sen-

tit.

10 SERIES MORBORUM

tiebat. Lib. 8. de nervis.

§. 43. Vel contracta, dura, instar ligni, vel corii exiccati, cum impotentia motus, diverse tamen sentiens in diversis locis, pro vario tensionis gradu.

Schol. Cuius morbi vim, & inauditam historiam accuratissimus noster Carolus Curtius Neapolitanus anno 1755. exhibuit Ab. Nolleto praeclarissimo.

§. 44. Primum morbi genus §. 42. ex insigni non modo vasculorum & glandularum cutis, sed & papilloae productionis mutatione oriri videtur.

§. 45. Fieri enim potest, cutis vasa evanescientia excretoria ab inspissatis fluidis intercipi, ut & papillas indurari, vel obstupecere; unde duritatem, & stupiditatem nanciscetur cutis.

§. 46. Alterius quoque morbi §. 43. causam sine coniecturis assequi nemo potest.

§. 47. Atqui negari non potest, universam cutim flexibilitate gaudere, cum eam a variis causis modo constringi, modo dilatari animadvertemus.

§. 48. Flexilitas vero cutis ab humore illo pingui & lymphatico in glandulis sebaceis, & miliaribus §. 9. secreto dependet. Hinc hisce interceptis glandulis, vel nimium tensis papillosis productionibus, cutis rigida, dura, sicca, intractabilis evadit.

§. 49. Concinnam quaerenti modo rationem, cur cutis papillae in morbo hoc apprime contrah-

## CUTANEORUM. PARS II.

trahantur? Nisi hariolari velimus cum Curio, eam ignorari fatendum est. Rarissimorum enim morborum veras causas bona fide ignore Medicus potest.

§. 50. Ratio autem occurrit, humores omnes machinae corporis, *haud naturae lusibus*, sed mechanicis quibusdam legibus, sive causis modo huic, alteri modo parti determinari, haereri, vitiari posse. Hoc si in vasculis cutis fiat, canales ii minimi ex permeabilibus impermeabiles evadunt & rigidi, & papillae irritantur.

§. 51. Curatio requirit, ut libera fiat humorum circumductio per vascula cutanea, sic ut flexibilitas cutis redeat, & motus, vel sensus, vel uterque simul, si defecerit. Sed refectionis vasorum interceptionibus, omnia in pristinum statum redire nobis blandimur.

§. 53. Attenuantia, serosa, emollientia hic requiruntur; balnea potissimum, vel fatus emollientes, frictiones leves &c.

§. 53. Si haec non profecerint, postremum est, ut a mercurio sanitatis praesidia repetamus.

§. 54. Cutis autem dura, & sicca §. 43. 48. apta non est ad excipiendum mercurium; hujus ergo vis ad cutim determinari debet per leves frictiones, & fatus emollientes; non vero ad glandulas salivales.

§. 55. Ejusmodi tamen tentamen sic commendamus, ut misso prius sanguine, atque alvo referata, grana iii. mercurii dulcis exhibantur, superbibendo decocti salsaparillae lib.

12 SERIES MQRBORUM

lib. 4, augendumque mercurii granum 1. singularis diebus ad gr. x.

§. 56. Si enim sanguinem, cutisque follicularum, sive glandularum infarctos tubulos sensim subeant mercurii sphaerulae, erit votorum omnium nobis summa.

§. 57. Sin vero aegre hoc succedat, vel alia damna erumpant, hydrargyro relicto, in humano corio ludere ulterius non decet.

§. 58. Tum sufficiat serum lactis ad lib. 4 cum falsaparill. decocto ad unc. duas commixtum ministrare per plures dies.

SCABIES.

§. 59. Quam Graeci ~~foram~~, vel Arabes pruritum vesicalem dixerunt, nos rectius definimus: asperitatem cutis cum pustulis humidis, & insigni pruritu.

§. 60. Diverse Celsus de scabie loquutus est, inquiens: *Scabies vero est durities cutis rubicundior, ex qua pustulae oriuntur quaedam humidiiores, quaedam sicciores. Exit ex quibusdam sanies, serpique veluti continuata exulceratio pruriens, serpitque in quibusdam cito; atque in aliis quidem ex toto desinit, in aliis vero certo tempore anni revertitur.*

§. 61. In sicciam, & humidam dividimus. Sicca, apparet sub forma saniei incrustatae; humida vero ulcuscula cutanea madentia, & pustulas repraesentat.

§. 62. Utraque tamen non a sanguine impuro, acido, ut tot annorum cursu creditum est,

## CUTANEORVM. PARS II. . 13

est , sed ab insectis quibusdam oritur , vulgo *Pellicelli* dictis , a Francisco Rhedio , aliisque admissis , quae sub cute serpendo , mordendo , five vulnuscula vasculis infligendo , pruritum sic excitant , & pustulas .

§. 63. Jam vero his pustulis relinquuntur infectorum ova , praesertim ubi sordities , & moderatus calor inest , ut in intersticiis digitorum manuum ; immodicus pruritus excitatur ; infecta locum mutant , & ita per universum fere corpus serpit morbus .

§. 64. Huius veritatis Valisnerius , Swamer-damius , Hecquetus , & transactio[n]es Anglicanae clarissima testimonia afferunt , quibus res inter demonstrata referri iure potest .

§. 65. Inventor horum infectorum censetur Bonomus ; quamvis sibi gloriam vindicet Cestonus , rem translatam non scriptis , sed voce , clarissimo Bonomo testatus .

§. 66. Utcumque sit , per carnis contactum excipitur Scabies ; rufus per indusia , pelles animalium , & lanas potissimum propagatur . Haec enim aptissima sunt media , ob raritatem laxam , & porosam , ut scabiosam saniem , infectorumque ovula diutius retineant .

§. 67. Jam quoque ratio elucet , quare oleosae , sulphureae , merciliares unctio[n]es in scabie praestantissimam ferant opem ? Nimitum quia his omnibus linimentis infecta , & ovula corrumpuntur .

§. 68. Inutilia ergo erunt , quae sanguinem minuunt , vel depurant ad delendam scabiem .

In

## 14. SERIES MORBORUM.

In tegumento enim cutis morbus haeret , vel causa . Parcendum itaque vitali sanguini .

§. 69. At molesta est quorumdam Medicorum obiectio ; quod si scabies diutius perduret , auxiliis sanguinem ducificantibus subiicere necesse est . Contra enim est ; nam ex diutinis pustulis pars acris , & putrida lymphae venulis resorpta , cum sanguine fluit . Quid ergo vetat , internis quoque auxiliis scabiem tum oppugnare ?

§. 70. Durius fortasse videri poterit nonnullis , scabiem , cum morbus sit , sanationis tamen internorum morborum saepe optimam esse causam . Nihil tamen magis verum est , & certissimis observationibus adeo confirmatum .

Schol. Ab asthmate enim , & convulsivis affectibus toties praeservat scabies , maxime si retrorpulsa iterum revocetur .

§. 71. Supereft corporis constitutio falino-acris , scorbutica , gallica , quae ad scabiem revocandam , vel conservandam , non minimam operm praebet . Morsus enim , & vulnuscula ab animalculis inficta , a praefentia lymphae acris , falsae , vel virulentae magis distenduntur , & diu foventur . Magnum tum , ut scabies curetur , Medico negotium faceffit .

§. 72. Si recens fuerit morbus , ferio enitendum , ut infecta oleosis , mercurialibus , & sulphureis unguentis pereant .

§. 73. Hinc unguentum ex butyro insulso , floribus sulphuris , & radicis lapathi sylvestris ; vel repetitum linimentum ex sulphure in oleo , & ace-

## CUTANEORUM. PARS II. 15

& aceto dissoluto insigniter prodest, vel similia in morbi initio adhibenda, quae ad naufragium apud Auctores recensentur.

§. 74. Verum si diu invaserit corpus, & gallicae luis metus sit, mane per plures dies aqua solut. P. Aemil. ad unc. vi. propinanda. Potus ex levi decocto falsaparillae paretur. Postremo ad mercurialem unctionem devenendum est.

§. 75. Ubi salina acris scorbutica diathesis morbum foveat, balneum, lac asininum, latissimum serum fumariatum, aquae medicatae, miris laudibus effervescunt ad corrigendum sanguinem. Docent autem observata, sine unctione, nunquam, vel raro scabiem evanescere.

### LICHEN, HERPES, ZONA.

§. 76. LICHEN. Vulgari nomine dicitur humor *salsus*, vel *Impetigo*, in qua cutis est aspera, cum pustulis hinc inde erodentibus, crustis furfuraceis, & cum intolerabili pruritu ad partes vicinas serpentibus.

§. 77. Si autem in majori gradu est, *pсора leprosa* vocatur, de qua legi meretur Barbette in sua Chirurgia.

§. 78. Post cuticulae, & escharae abrasiōnem stigmata sub cute cruenta relinquunt impetigo, quae difficillime sanatur, vel sanata facile revertitur, scorbuticis maxime, & serofa cacochymia laborantibus familiaris.

§. 79. Pessimus ergo est morbus, caput saepissi-

pissime invadens , crustaque circum circa obducitur , ne facie quidem , labiis , manibusque exceptis .

• §.80. Quoniam vero tota cutis ulcerosam faniem profundit serosam corrosivam , cuticula abscedit continuo , ut frusta arida sine negotio detrahantur , cute subiecta obscure rubra , madorem acrem plorante ; unde faetor adeat , & aegri ciborum valde appetentes , de intensiore siti conqueruntur .

§. 81. Quum morbus non in uno loco , sed celeriter ex una in alteram partem excurrit , & adeat dolor cutis , & ardor cum serpentibus minimis pustulis , tunc vocatur HERPES a serpendo ; unde latinis SERPIGO .

§. 82. Haec enim vel est coniuncta cum pustulis in summitate cutis , milii semina referentibus , & tunc HERPES MILIARIS ; vel ipsam cutim exulcerat , & in ambitum serpit , & HERPES EXEDENS nuncupatur , seu ex Celso IGNIS SACER .

§.83. Herpes miliaris , dum serpendo se propagat , cutis tantum superficiem certis in locis , ut sunt pedes , femora , manus , scrotum , perinaeum &c. occupat ; pustulas parvas pruriginosas , sine humiditate , excitans , quae squamulis depositis evanescunt quidem , sed certis temporum periodis facile in iisdem locis recurrentur .

§. 84. Referri hic debet porriginis species , senes maxime infestans , quae sine pustulis , pruritu haud ferendo cutim invadit , & perpetuum

tuum scalptum digitorum unguibus expedit; quandoque cutim, pubem, scrotum seorsim obsidet; interdum intestini recti exitum, praesertim quando haemorroides vitio aetatis, aut errore quodam cessare incipiunt.

§. 85. Herpes exedens, qui absolute Herpes ab Hippocrate nominatur, totam cutim ad suppositam carnem ulcere exedit, & in squamas nunc crassiores, nunc tenuiores, maxime etiam circa pilosas capitis partes, resolvit. Dum vero evanescit, duros in membro affecto tumores relinquit.

§. 86. Quando autem Herpes mali moris pectus occupat, & praecordia cum Cardialgia; calore praeternaturali; pruritu, eutis inflammatione, & dolorifica exulceratione, pustulisque parvis & lucidis, instar cinguli, ad manus latitudinem in pectore dispersis, affectus vocatur ZONA IGNEA.

§. 87. Veteres serum culpant acido falsum sulphureum in hisce morbis. Sed haec insomnia, & commenta delevit iam meridies. Recentiorum enim observatis debemus, Lichenem, & Herpetem, si mercuriali unguento primum oppugnemus, utrumque morbi genus statim deletur.

§. 88. Ergo Lichenis, & Herpetis causa in infectis determinatae figurae quaerenda est, quae erodendo, papillas & vellicando, nec non de loco in locum progrediendo, symptomata omnia excitare aptissima sunt.

§. 89. Quum vero ex disruptis vasculis emanans

nans lympha restagnet, haec ad sanguinem absorpta per venulas abit; hinc eius massam quoque deturpat; ideoque in morbo pertinaci, ne retrocedat, diluentibus, diaphoreticis curatio ineunda est; deinde sulphureis linimentis perficienda, aquis thermalibus &c. Ex nostris probantur illae in insula Aenaria, vulgo dictae *del Gurgitelli*, & *Pisciarelli* ad lacum Agnanum.

§. 90. In benignis Lichenibus utitur Mercurialis saliva hominis ieiuni; in pravis sulphure vivo in petia ligato, inque aceto macerato. Valet etiam fatus ex aqua calcis, quam ad impetigines, & Lepram Hippocrates lib. Epidem. 2. commendat. Sed, temperata esse debet ne magis ulceret affectas partes.

§. 91. Qui vero aliter negotium aggredi vult, seque miracula perficere pollicetur solum evanescendo, vel corrigendo acidum hostile sanguinis, bona fide ut agat, in proprio corpore tentare hoc debet, quod aliis suadere conatur misericordis.

*Schol.* Sylvestrem Medicum novi (unum fortasse ex Capivacei schola redivivum) molestissima herpete miliari laborantem. Ad ravim usque clamavi, ut unctionibus, vel lotionibus pergeret, relictis sanguinem depurantibus; sed Aethiopem lavabam; cum enim utrumque femur, & brachium unguibus suis scalpere, aegre viderem, iracundus pruritus mihi non levis excitabatur. At sic res se habet: *Qui lave la tête a un âne, perd l'eau, & le savon.*

## CUTANEORUM. PARS II. 19

### LEPRA, ELEPHANTIASIS.

§. 92. Lepra monstrorum constituit affectum, etenim, adnotante Celso, *summa pars corporis crebras maculas, crebroisque tumores habet; O rubor earum paulatim in atrum colorem convertitur; summa cutis inaequaliter crassa, tenuis, dura, mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus emacrescit. Os, surae, pedes intumescent; ubi vetus morbus est, digitii in manibus, pedibusque sub tumore conduntur; febricula oritur, quae facile tot malis obrutum hominem consumit.*

§. 93. Quae sane descriptio apprime convenit leprae a Graecis descriptae.

§. 94. Verum lepra ab Avicenna, aliisque Arabibus depicta convenit cum descriptione elephantiasis data a Graecis; quare iure merito vulgatum est: *Lepram Graecorum esse Albarum Avicennae, O Elephantiasis Graecorum esse Lepram Arabum.*

§. 95. Sic quoque Galenus intelligitur, dum quosdam elephantiacos factos fuisse leprosos assertit, malo in melius converso.

§. 96. Hoc modo quoque re intellecta nullam parit admirationem assertio, elephantiasim nempe esse veram lepram, quam curavit Salvator Christus.

§. 97. Ex deformitate figurae, & magnitudine varia nomina obtinuit elephantiasis.

*Schol.* A facie enim faeda & deformi, vel ut voluit Platerus, quod aures patulae & la-

tae , alarum instar , faetae , elephantis faciem quodammodo exprimunt . Vel a cute dura & aspera instar corii crassi . Vel propter magnitudinem , & Archigenes ita dictum esse hunc morbum contendit . Appellatur quoque Satyriasis , tum ob faciei depravationem depictis satyris similem , tum ob Veneris tentiginem .

§. 98. Aegyptiis est familiaris morbus . Unde Lucret. lib. 6. vers. 1110.

*Est elephas morbus , qui propter flumina Nili*

*Gignitur Aegypto in media , neque praeterea usquam .*

§. 99. Raro autem eunuchos , & feminas aggreditur ; immo fertur , nonnullos se castravisse , ne hunc faedissimum morbum comparerent .

§. 100. Fere inctirabilem esse Arabum lepram , statuendum est ; non item illa Græcorum , adeo ut Hippocrates scriptum reliquerit , ex lepris facilius illas curari , quae in maxime juvenibus fiunt , quae sunt recentissimae , quaeque in mollissimis & carnosissimis corporis partibus gignuntur .

§. 101. Vetus autem lepra curationem minime suscipit , quia organicas papillis cutaneis mutationes affert .

§. 102. Si affectus haereditarius sit , ab impuro scilicet parentum semine communicatus , in desperatis res est ; secus autem si abusū incongruorum ciborum fiat , omnino spes pro salute aegri abscissa non est .

§. 103. Pro curatione Aretaeus , & Galenus  
om-

## CUTANEORUM. PARS II. 21

omnia ex viperis laudant , sicuti celebre apud Galenum est vinum viperatum . Sed quid salutare ex viperis expectatur ? Si verum eloqui decet , non aliud , quam quod a reliquis animantium partibus siccatis , gelatinoso quodam , blando , sulphureo , vaporoso succo praeditis expectari licet .

§. 104. Meliorem ergo curandi methodum absolvit Celsus lib. 3. cap. 25.

*Schol.* Praecipit enim , ut protinus inter initia sanguis per biduum mitti debeat , aut nigro veratro ~~vener~~ solvi . Adhibenda tum , quanta substineri potest , inedia est ; paulum deinde vires reficiendae , & ducenda alvus ; post haec , ubi corpus levatum est , utendum est exercitatione , praecipueque cursu ; sudor primum labore ipsius corporis , deinde etiam fistic sudationibus evocandus ; frictio adhibenda , moderandumque inter haec , ut vires conserventur ; balneum rarum esse debet ; cibus sine pinguibus , sine glutinosis , sine inflantibus . Venum , praeterquam primis diebus , recte datur . Corpus contrita plantago , & illita , tueri optime videtur .

§. 105. His auxiliis Celsianis addendae aquae minerales , acidulae , antivenereae . Nisi cedat morbus , mercurii quoque usum periclitemur . Magnum enim malum , magnum indicat remedium .

## VITILIGO.

§. 106. Morbus est, qui coloris , & substantiae mutationem quibusdam corporis partibus infert.

§. 107. Ejus vero una dicitur ALPHOS , ubi color albus, fere subasper, & non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae videantur.

## MELAS.

§. 108. Colore ab hoc differt, quia niger est, & umbrae similis ; cetera eadem sunt.

## LEUCE.

§. 109. Habet quoddam simile Alpho , sed magis albida est, & altius ascendit , in eaque pili albi sunt , & lanugini similes.

§. 110. Omina haec serpunt ; sed in aliis celerius, in aliis tardius.

§. 111. Alphos , & Melas variis temporibus oriuntur , & desinunt. Leuce quem semel occupavit , non facile dimittit .

§. 112. Si color interim actu diversus juxta diversas corporis partes , similis ubique fiat , tunc oritur Vitiligo vel *alba* , vel *nigra* .

§. 113. Alba , seu Alphos ab Arabibus , appellatur quoque *Morpheae*.

§. 114. In Leuce maculae quaedam albæ , sed juxta Mercurialem ita sunt continuatae , ut in omnibus fere locis se se contingant , atque in-

## CUTANEORUM. PARS II. 23

invicem copulentur; praeterea pili quoque albi sunt.

§. 115. In Alpho vero maculae sunt albae, sed separatae ab invicem, nec pili albi sunt. Ratio hujus, quia affectio haec non ita intimam cutem exercet, ut in Leuce.

§. 116. Causae sunt praepollentes viscosae, & salinae partes in ramificationibus arteriosis, & lymphaticis cutis. Quapropter eo tempore in superficiunculas respondentes ramis sanguinei globuli non progrediuntur; neque per illa loca pertransiunt. Hinc color albus, & maculae albae.

§. 117. Remedia sunt dissolventia, & balnea, & frictiones. Neque desunt qui Epispasticorum usum laudant, aut serum lactis lupulatum, & iuscula refrigerantia.

## VARIOLAE.

§. 118. Sunt pustulæ parvae contagiosae epidemicae, quae motu critico ad summam cutim propelluntur.

§. 119. Inter ea quae ignoramus, variolarum causa est. An in corpore lateat, sive in uto-ro, an corpori ex aere ipso adveniat, sive rectius a qualitatibus, vel natura admixti? A subtilioribus ingenii certe determinari nequit.

§. 120. Ad Artis tamen usum, & therapiam pertinet morbi genium, facultatem, & potentiam operandi investigare. At hujus loci non est tantam rem definire.

§. 121. Neque aliud agendum in curatione , nisi ut naturæ in opere expulsorio , & suppura- torio congruis remediis subveniat , a quorum selectu hic supersedemus , ne limites suos praetergredi proposita nobis disceptatio videatur .

§. 122. Potiori iure haec monenda occurunt quae externis potius , quam internis praesidiis subsistunt .

§. 123. Si namque Variolæ oculos occupent , in suppuratione vero vitium non raro iisdem inferant , tum Medicus a tali vitio oculos de- fendere satagat , quod optime fit vel lacte , vel linteo duplicato imbibito aq. flor. sambuc. , adie- etis aliquot granis camphoræ . Nostrates vero mulieres absynthii coma palpebras tangunt sae- pius in die , sicque oculos puerorum praeservant .

§. 124. Quod si finito morbo vitium in oculis iam suscepimus perseveret , plus opis a ve- ficatorio expectari solet .

§. 125. Verum suppuratis pustulis variolofis sequitur postea exiccatio , quae nono vel un- decimo die fit , si benigniores sint . Rupta enim cuticula , squamularum , vel crustarum forma decidunt variolosa exanthemata .

§. 126. Nisi hoc sponte fiat , oleo ovorum nil praestantius ad pustularum crustas removen- das censetur .

§. 127. Quando pustulae vel ob deficiens na- turae robur , vel ob refrigerationem , terrorem &c. subito concidant ; nisi prudens medicus ana- leptico , & expellente remedio quam cito suc- currat , mors in propinquò . Juvat tum dari li- quor

guor C. C. succinatus ad aliquot guttas in aq.  
cinnamom. , et. C.B. ; & praecordiis , pedibusque  
applicari calida fomenta.

*Schol.* Multa communia variolis habent morbilli . Differunt tamen quoad causam , & genium , & diagnosim , & prognosim . Exanthemata autem morbillorum nullam externam peculiarem opem exposcunt . Omnia enim loca , quae occupant morbilli , alblicant , ac si farina conspersa forent , rupta cuticula , quae squamularum forma sponte decidit . Cetera diluentibus , & demulcentibus interne perficienda .

### CLAVI .

§. 128. Vel Calli : sunt tumores duri in superficie cutis germinantes , qui attritione , laceratione , aut compressione fibrillarum fiunt .

§. 129. In pedum digitis oriuntur ; hinc dolorem impatibilem progredientibus movent .

§. 130. Radiculam habent , quam etiam quandoque altius , & ad digitorum tendines , immo ad periostium usque figunt .

§. 131. Nascitur autem saepissime callus , si pedes , horumque digiti arctioribus calceis comprimantur .

§. 132. Quia vero in cute , vel etiam tendine , ac ossis membrana coexpressis ex ratione minoribus fistulis , humor per eas revertere nequit , hinc effluit , & inter minores fibras , occallescit .

§. 133.

26 . . . SERIES MORBORUM

§. 133. Huic etiam , pressus si manet , quotidie , & incrementum , maiorque durities accedit ; ita ut tandem compressis sanguini accommodatis arteriis , venisque cutis , atque tendo , & membrana , qua os contegitur , inflammationem accipient , & vehementer doleant.

§. 134. Ipse autem clavus sine dolore est . Eius radicula plerumque tendini , vel periostio altius inhaeret ; quare non sine metu auferri solet .

§. 135. Prohibentur callorum generationes in pedibus ; neque si adsint , dolorem movent , si homo laxioribus calceamentis , vel tibialibus utatur , ne pedum digitos haec comprimant .

§. 136. Sed his consiliis unum vel alterum obsequentem invenies , maxime in sequiori se xu . Calceis enim , & callis torqueri malunt , delicatulo ut pēde sibi blandiantur .

§. 137. Ubi vero clavi eminent , comodissimum semper habui eos balneo , impositis idoneis emplastris galbani crocati , vel cicutae , emollire , illosque scalpello ita radere , ut callus diducatur .

§. 138. Diducto callo , iterum illa emplastrata imponenda , & diutius superhabenda .

§. 139. Cura adhibenda superest , ne scalpel lo tendo vulneretur , cum ex minori etiam plaga quandoque gravissima , & funesta inflammatio orta fuerit .

*Schol.* Elapso anno historiam mihi per epistolam misit Amicus , quod cum vetus clavus pedis ferro praescinderetur in mediocris fortunae

## CUTANEORUM. PARS II. 27

nac Teatino cive, inflammatio supervenit, in sphacelum cito abiens, quem mors brevi sequuta est.

§. 140. Clavus quamvis prudenter excisus, saepe tamen revertitur, qui tandem sub repetita curatione paulatim emoritur.

### VARI.

§. 141. Sunt tumores duri, & parvi ex rubidine in summitate tandem albantes, qui ut plurimum in facie, & collo oriri solent, atque aperti pus crassum, & tenax effundunt, magnitudine granum cannabis saepius acquantes.

### PHLICENAE.

§. 142. Sunt vesiculae parvae, pruriginosae & ferventes, sero limpido repleteae, quaeque in digitis, & circa carpos enascuntur.

### SYRONES.

§. 143. Sunt pustulae in volis manuum, & pedum plantis aestivo tempore emergentes, & cum insigni pruritu molestantes, in quibus quidem subtilissimi vermes a cu effodiendi, reconduuntur.

ES-

## ESSERES.

§. 144. Barbaro vocabulo, dicuntur pustulae parvae bullarum; vel squamarum instar, quas ideo *squamulares* vocat Paracelsus, metallorum fessoribus familiares.

## ROSEOLAE SALTANTES.

§. 145. Dictae a Severino maculae subrubrae, faeculentaeque tuberculum intrinsecus recondentes, quod tactu fabae, vel lupini magnitudinem, aut formam refert; dolore se declarans non mediocri; tum etiam propter tuberculum interdum ulceratum, aliqua praefertur pustula.

§. 146. Non una parte corporis insident Roseolae; sed per artus omnes, manus, pedesque vagantur.

§. 147. Sunt autem, quae a minimo digito ad singulos ordinatim alios, atque sub alterutra manu in alteram propagantur; per truncum vero nunquam visae roseolae.

§. 148. Saltantes dicuntur, quod tibias privatim occupare consuetae per dolorem faciant, ut stantes homines saltent, tibiis alterne sublati.

§. 149. Perperam cum pernionibus confunduntur, cum ii certarum partium vitia sint, eamdemque cognationem habent roseolae, ac Graecorum epynictides.

PER-

## PERNIONES.

§. 150. Quasi pedis pernices, vulgo *Rosole*,  
unde eleganter cecinit Poeta:

*Esse pedum vitium dicunt, cui Pernio  
nomen*

*Est a pernicie membra patientis id ipsum.*

§. 151. Huius tam familiaris morbi causa  
tribuitur nimio frigori, superveniente calore,  
quo rarefactio, & laceratio fibrillarum fit.

§. 152. Pernionum characteres expressit Cel-  
sus, inquiens: *Rubor cum inflammatione me-  
diocri est; interdum pustulae oriuntur, dein-  
de exulceratio. Dolor autem modicus; pruri-  
go maior est; non tinqam humor exit, sed  
non multus, qui referre vel pus, vel saniem  
videtur.*

§. 153. Perniones pertundere oportet, & ca-  
lefacere, ita ut *quam maxime excalefacias  
igne, & aqua*, scripsit Hippocr. 7. epidem.

§. 154. Aetius succum admoveat hyoscyami,  
fereque omnes Graeci aqua marina lavant.

§. 155. Experta autem remedia a Severino  
haec sunt: ad non ulceratos quidem perniones  
suffitus ex cinnaberi contrito, & in ignitos  
carbones injecto mane, vespereque per multos  
dies subtensis panniculis, accommode recipien-  
dus; mox ex decocto cyclaminis lotura adhi-  
benda est; deinde ex liquore destillato cerae  
opus adimplendum: Ad ulceratos vero eodem  
oleo cerae, succo cyclaminis, adipe taurino, &  
pini resina; vel pice celophonia ceratum f. s.  
a., partique admoveatur.

CAR.

# SERIES MORBORUM

## CARBUNCULUS.

§. 156. Sive *Anthrax* Graecis, Avicennae *Ignis Persicus*, quia Persis familiaris; *pruna* quoque appellantur, etenim ustionem ignito carbone factam repraesentant.

§. 157. Huius tumoris characteres ex Celsῳ sunt: *Rubor* est, superque eum nonnūlū pustulae eminent, maxime lividae, interdum sublividae, aut pallidae, in iis sanies esse videntur; *infra* color niger est, ipsum corpus aridum, & durius, quam naturaliter oportet &c.

§. 158. Hieronymus Fabritius ab Aquapendente, Mercurialis, Forensis, aliique Galenum sequuti pro causa sanguinem fervidissimum cum atra bile coniunctum accusant.

§. 159. Revera tamen si in sanguine vigeant particulae causticae ultimas arteriolas lymphaticas, papillas nervosas, & vascula sanguifera corrodentes, omnia carbunculi phaenomena revocabunt.

§. 160. Neque venae sectio, neque cathartica sufficiunt. Pulveribus sudorificis, & topicis insistendum est, quorum vis & actio in dissolvendis, vel infringendis causticis particulis exercetur.

§. 161. Verum, nil melius, inquit Celsus, quam protinus adurere; neque id grave est, nam non sensit, quoniam ea caro morbus est, finisque adurendi est, dum ex parte sensus doloris est; tum deinde vulnus, sicuti cetera adusta, curandum.

Schol.

*Schol.* Quod remedii genus non improbo. Quoniam autem ignis quandoque adhiberi nequit, praesertim ubi pars ustionem respuit, vel summa adest inflammatio; nil tutius ergo superest, quam profunde affectam partem scarificare, sanguineque, quantum visum fuerit, educere, ad ustionem devenire. Adustate parti ovi albumen conquassatum applicetur ad dolorem compescendum. Postera die supra escharam apponatur butyrum insulsum, vel unguentum rofaceum. Circum circa vero cataplasma anodynum emolliens, quod supra crustam applicari quoque potest, donec illa decidat, quodque corruptum est, expurgetur.

§. 162. Si ignis actualis metuatur, Sylvius butyrum antimonii circum circa appositum laudat. Ad miraculum enim fistitur immainens sphacelus, ipso approbante.

§. 163. Nonnulli saponem tota sui substantia valere praedieant, cum fuliginis pulvere, si carbunculo admoveatur; quod nullius est momenti.

§. 164. Eschara separatur applicando unguentum basilicon cum butyro insulso commixtum, addita theriaca; ut ulcus etiam mundificetur, aliud remedium commendatur, quod ad hunc num. *in summ. de morb. cutis appositum* est.

### EPYNICTIDES.

§. 165. A tempore, quo invadunt ita dictae, etenim iuxta Celsum, & Galenum hoc nomine

ne gaudent, quia noctu apparent, sed juxta Aetium, & Plinium, quia noctu molestiam exercent.

§. 166. Celsus ad pustulas refert Epynictidem; rectius ad furunculum, & definitur pustula pessima, colore sublivida, vel subnigra, vel rubicunda, aut alba, circa quam suboritur inflammatio cum ingenti dolore, noctu magis affligens, cumque aperta est, intus mucosa reperitur exulceratio; colorem habens humoris suo similem, & ex se cruentam educit faniem.

§. 167. Noctu autem exacerbatur Epynictis, quia cutis condensatur, & meatus obstruuntur. Sed hoc impugnat Severinus, saepe diurno frigore ob pluviam meatus obstrui posse afferens. Per melancholiam autem alteratam a pituita, ut calx ab aqua, nequaquam Severini expositio arridet.

§. 168. Pars affecta est membrana & pars exterior musculorum, & cutis; excluso periostio.

§. 169. Curatio perficitur cataplasmate ex uvis passis, caricis, & rutha, vel digestivum cum emplastro Diachylon applicetur. Facto ulcere mundificetur digestivo communi, vel unguento aureo, Diapalm., vel Tutiae.

### TERMINTHUS.

§. 170. Fere epynictidi similis, cui superius, & inferius nigra pustula incumbit, qua disrupta, vel dissecta pus invenitur, eamdemque cu-

## CUTANEORUM. PARS II. 33

curationem recipit , ac epynictis §. 169.

### FURUNCULUS.

§. 171. Est tuberculum acie praeditum cum inflammatione , & dolore.

§. 172. In benignum , & malignum dividitur. Primum est , ubi solam cutim infestat ; secundum, dum altiores radices agit ; periculoque vacat , nisi in anthracem vertatur , ut saepe in morbis malignis.

§. 173. Curatio juxta Galenum fit apposito pane masticato , vel emplastro Diachylon cum spermate ceti malaxato , vel gumm. galban. , vel malva cum unguent. basilicon .

### PANARITIUM.

§. 174. Est tumor in digitii extremitate valde dolens ex acri humore tendines , nervos , periostium , immo os ipsum interdum erodente , ortus. Vocari etiam solet *Paronychia*.

§. 175. Duplicem patitur divisionem ; vel enim ad unguis radicem superficialiter absque magno dolore viget ; vel profundiores habet radices usque ad periostium se se extendens , & syncopem , febremque vehementem comitem habet cum ossis carie .

§. 176. Curatio praeter universalem institutionem , fovendoque digitum cataplasmate ex miscis panis , floribus chamomill. , & seminib. lin. in lacte decoctis ; Etmullerus laudat remedia ex lumbricis parata .

C

§. 177.

§. 177. Hieronymus Fabricius refert , quibusdam feminis suasisse cum fructu , digitu velocem immisionem in aquam ebullientem , quod validis rationibus probat Severinus.

§. 178. Riverius iubet , ut digitum immitat aegrotus in aurem felis , cui dolor infertur , & aegro aufertur . Oh morbi lepidam transmigrationem !

§. 179. Si tumor pertinax ad suppurationem vergat , tunc immature aperiendus ; deinde iuxta praeceptum Hildani fovenda pars spiritu vini , in quo dissoluta fuerit theriaca ; atque statim ab initio incisionem hanc fieri debere addit ; aliter peiora semper supervenient symptomata .

### ULCERA VENEREA .

§. 180. Proprietatem hanc corporis dolemus , quod solo ad cutim attactu ingredi possunt corporicula , quae ob tenuitatem suam nullo sensu deprehenduntur .

§. 181. Unde tamen humores nostros in peregrinam naturam immutant , atque sanitati , immo vitae saepe inimicissima sunt ; contagio enim prolifero semper omnia corruptunt , dum quaevis particula novae infectionis causa evadit .

§. 182. In hac classe venerea labes merito accensetur . Haec enim solo contactu illam corporis partem primo inficit , quam contingit ; five cute tegitur , five hac carens , sola cuticula obvolvitur .

§. 183. Hinc basiis & suctione , labia & pa-

## CUTANEORUM. PARS II. 35

papillas, ulcusculis deturpat; quin impurae, infectaeque salivae commercio linguam, gingivas, palatum, uvulam, tonsillas, & fauces horrendis abscessibus faedat.

§. 184. Genitalem virgam si attigerit, ibi & ulcerata facit.

§. 185. Atque in prima hac infectione differentiam notamus, quod si loca primo laesa obstructa sint cute, ut in dorso membra virilis, tum & ulcus pessimi moris difficillime sanabile ibi nascitur. Venenum enim efficacissimae malignitatis gradum ostendet, dum solidam cutim penetrat, & exurit.

§. 186. Verum si partes dermate nudae sint, tunc non semper aequa formidolosum est malum; quoniam sola exilissima cuticula penetrari hic debuit.

§. 187. Ubi cumque tamen oculo observare datur conditionem illius partis in corpore, quam contagium initio obfedit, ibi semper maculam rubellam videt, quae stigma morbilli, vel variolae nasciturae apprime refert.

§. 188. In hac aeger pruritum leve, calorem molestum, dolorem vix percipit. Crescit papula haec, squamulamque cuticulae attollens, bullulam elevat, quae si ab humore tenui pellucido distendatur, rupta sanari facile solet.

§. 189. Hoc enim casu immista aquosae lymphae contagiosa particula, per ruptam lymphaticam venulam protinus eluitur, nullum mali vestigium persaepe relinquens.

§. 190. Unde patet, cur bullulae hae, quas

36      SERIES MORBORUM

etiam *ulcera crystallina* Chirurgorum vulgus appellat, ad integrum sanationem facile perducantur. Per venulam enim bibulam minimam, per quam haustum creditur contagium, per eamdem iterum expelli credendum est, absque haerescente contagio ipso.

§. 191. Quoties vero macula illa descripta  
§. 187. 188. in tuberculum assurgit repletum materia subalbida flavescente, quae instar sebi fusi splendet, tunc ad cellulosam membranam pervenit contagiosa labes, nec tam facile sanabilis est, si praesertim incongruis remediis tractetur.

§. 192. Hoc iis familiare esse solet, qui erodentibus os ulceris in crustam exurunt, cum interim sub eschara dura retentum virus furit, serpit latius, propinquas partes afficiens maligna sua virulentia.

§. 193. Hinc calamitosissimus hodie usus damnandus agyrtarum, dum externa haec in pene, vel muliebribus, ulcuscula tangunt lapide infernali, aqua vitrioli, vel praecipitato mercurio. *Procul a nostris literis absint ista. Nos auxilia dicemus, non piacula* (a).

§. 194. Longe tutiora ad hoc mali genus praefidia candide mox enarrabo.

§. 195. Haec inter principem locum emollientia, humectantia obtinent ex lacte, & althaea, quibus mane, & vespere exulcerata loca foveantur. Emollitae enim partes facile ex-

(a) *Plin. histor. natural. lib. 28. cap. 1.*

## CUTANEORUM. PARS II. 37

extrorsum exhalant per patulas vias allestant tenuem halitufosam materiam.

§. 196. Dulcis inde mercurius cum melle rosarum , & tutia praeparata remixtus ulceribus imponatur . Leviter enim abstergit tutia , & exsiccat sine morsu ; & mel rosatum cum mercurio causticam virulentiam temperat , viscositatem in tuberculo incidit , & resolvit .

§. 197. Novi profecto ( & utinam ipsem perfunctorie non coluisse ! ) aquam aluminis Fallopii , vel viridem Hartmanni , unguentum lythargirii . Sed omnia ad nihilum recedunt ; immo lubens fateor , haec acria , & rodentia vivam papillosum glandis superficiem saepe irritasse , & penem inflammasse . Quis modo redarguet consilientis iuventutis temerarios ausus ? Ea tirones præstant , quae didicere in libris seniorum .

§. 198. Quoniam vero etiam mulieres inficiuntur huiusmodi ulcusculis ad cryptas mucilaginosas intra pudenda exortis , hinc & his laudata consilia 195. 196. prodeesse possunt ; præfertim iniectiones , quae ex melle communi , & lactis fero conficiuntur .

§. 199. Id unum moneo , quod si post vias in pudendis plegas , tonsillas quoque , pendulum palati velum , & uvulam ulceribus de- pasci artifex videt , externis solis auxiliis nemo acquiescat . Est enim adeo fallax , & insidiosa horum ulcerum affectio , ut extra dum evanescere repetitis collusionibus spectas , de iniectionis minis , & cuniculis intus tibi suspicari licet .

38      SERIES MORBORUM

§. 200. Extremum tunc , ptyalismum , vel sudorem movens remedium supereft . Sero autem poenitet , qui temporis opportunitatem non nōvit . Cito igitur auxiliari non differas .

§. 201. Si vero ad vesicam usque ulcera nidiulari suspicio fit , per Catheterem lac recens cum melle rosarum infundatur . Per Catheterem enim iniectiones proficuas magis , quam ore assumpta medicamenta experimur , cum longa a ventriculo ad vesicam via sit ; vires idcirco remediorum non parum saepe minuantur , atque alterantur .

VERRUCAE , MYRMECIA , ACROHORDON ,  
CRYSTAE , FICUS , THYMUS .

§. 202. Inter alia luis venereae importuna symptomata , quae inquinatos torquent , sunt VERRUCAE , aliaeque mox enarrandae excrescentiae .

§. 203. Si enim cellulosa tenuis membrana absumatur tabo venereo , solutaeque ex crescunt papillae nervosae sentientes , quae ad glandem concurrunt , tunc VERRUCAE venereae fiunt .

§. 204. Harum vero nonnullae sunt humiliores , inferius latiores , superius tenuiores , & duriores , radices suas altius figentes , colore nigricantes , ad contactum dolentes , qualis fit a morsu formicae ; magnitudine tamen vix lupinum excedentes , & MYRMECIA vocantur .

§. 205. Aliae peniles sunt , orbiculares , angustae basis , ACROHORDON dictae , quod chordae ne-

nexus suspensae videantur. Una, vel sola vix nascitur; magnitudine pisi, ad summum fabae; raro maior; in summitate latior; in inferiori circa corpus cutis tenuior est, ita ut quasi pediculo suffulta appareat; cuti concolor; perdura quoque & aspera est.

CRYSTAE.

§. 206. Sunt carunculae crystaceae, pullo-  
rum crystam referentes.

FICUS, seu SYCOSES.

§. 207. Sunt quaedam excrecentiae basim strictam habentes; superiorem vero partem magis latam, ficubus non absimiles. Vocantur quoque Mariscae.

THYMUS.

§. 208. Est protuberans excrecentia, aspera, subrubra, oblonga, thymi summittatis coloreni referens, atque in excisione plurimum sanguinis effundens.

§. 209. Ex humoribus lentis, viscidis, & pituitosis recitatas excrecentias fieri creditur, vel succis contagio imbutis, qui extra solidas fibras agglutinantur, & iuxta partis texturam, & dispositionem in luxuriantes carnes degenerant.

§. 210. Nunquam fere solitariae; sed plures

saepe observantur. Spurcum humorem fundunt, qui partes vicinas foedat ; multiplicatur hinc excrementiarum propago, quae, nisi aptis remediis currentur, in cancerosam naturam facile migrant.

§. 211. Quae vero exiles habent pedunculos, faciliorem curationem admittunt. Contra, quae latissimis, & callosis radicibus potiuntur, aegre sanantur.

§. 212. Carnieae excrentiae, quae tenuem basim habent, serico filo ligantur, sensimque constringuntur, donec ob nutrimenti defectum exsiccentur, & decidant.

§. 213. Verum non omnes filo vinciri possunt ob basim latiorem & callosam §. 211. Quae vinculum tamen non respuunt, ne tumor, vel inflammatio accedit, cavendum est.

§. 214. Eas forcipe alii praescindunt, vel candente ferro exurunt. Verum utrumque praesidii genus formidolosum est, & periculo plenum. Licet enim sylvestres carnes sint excrentiae, vivunt tamen, adhaerentque partibus exquisiti sensus.

§. 215. Qui vero ferri, vel ignis vim reformidant, vulcanum, & ferrum contra luxuriantes carnes repudiant, & pro actuali, igne potentiali utuntur, ut arsenico crystallino, & auripigmento. Longe autem peiora malo sunt praesidia haec.

§. 216. Laetus recordor, pulveris ex alumine usto, & sabina sola superimpositione, huiusmodi excrentias curasse. Rursus aqua salis

## CUTANEORUM. PARS II. 41

lis ammoniaci idem praefstat. Omnium tamen efficacissimus spiritus sal. ammoniac. ab aliis celebratur. Sed habent sua fata medicamenta, sicut & cetera omnia.

### DEFLUVIA CAPILLORUM.

§. 217. Reliquum est, ut cutis capitis vitiæ quoq. percurramus.

§. 218. Defluvium capillorum habetur vel post longas aegritudines, vel a laxitate folliculorum, vel a nutrimento deficiente in radicibus.

§. 219. Inaequaliter decidunt, & aliquando areas relinquunt.

§. 220. Juxta causas, ita remedia applicanda sunt, & capitis lotiones. Abrotani decoctum laudat Franc. Stephanus Geoffroy; immo refert unguenti Bucrelii Wratislariensis secreti & experti formulam contra capillorum defecatum; quam descriptionem nos quoque in Summ. damus ad hunc §. 220.

### ALOPECIA.

§. 221. Est quando totum fere caput depilatum conspicitur, ob easdem causas in §. 218.

### CALVITIUM.

§. 222. Est depilatio capitis propter aetatem

tem hominibus adveniens . Causa est rigidi-  
tas , & rugositas fibrarum , humorumque len-  
tescentia .

§. 223. Circa Calvitium sex problemata Me-  
dicorum examini subiicienda proponimus .

*Schol.* Cur solus homo inter cuncta anima-  
lia calvescat ? 2. Cur Calvitium nulla ope me-  
dica reparari potest ? 3. Cur aliqui citius , ali-  
qui tardius calvescant , & aethiopes tardissime ?  
4. Cur mulieres vel nunquam , vel rarissime  
calvescant ? 5. Cur anteriore parte capitis ,  
quam posteriore , magis fiat calvitium ? 6. de-  
mum cur Hippocrates de aere , aquis , & locis  
afferat , calvos ex calvis nasci ? Otiosis relin-  
quamus .

### CANITIES .

§. 224. Inter capillorum affectus accensetur  
Canities , quae tunc vere dicitur , cum mu-  
tantur capilli in colorem album , ante legitimi-  
mam aetatem .

§. 225. Ridiculum est , quod de siccitate ,  
aut melancholia exaltata Veteres somniant . Nam  
canities a reflexione omnis generis . radiorum  
fit . Hinc deficiente proportionali nutrimento  
vel ob inaequalem , vel tardissimam ejus actio-  
nenem superficies capillorum adeo immutatur ,  
ut radios confuse reflectat .

§. 226. Pro remedio denigrationis , expertissi-  
mae efficaciae apud Practicos medicamentum ,  
quod in *Summario* ad hunc num. appositum  
est , celebratur .

§. 227.

§. 227. Denigrat remedium hoc, neque periculum est, quod ullum damnum capiti inferat. Illiniantur pennicillo capilli albi, deinde caput panno nigro contegatur, atque ita detineatur tota nocte; mane postmodum abluatur vino nigro adstringente, in quo bulliant prius myrabolani nigri.

### PEDICULATIO.

§. 228. A pediculis ita dicta, quia ut plurimum caput hoc morbo tentatur in pueris.

§. 229. Morbus hic parum a scabie discriminatur; siquidem juxta observationes Rhedii, & Valisneri, pediculi foveas effodiunt, ova relinquunt, ulceribus reconduntur, & morbum pedicularem producunt. Externe curatur nitro, sulphure, aliisque in scabie recitatis.

### PORRIGO.

§. 230. Alias *furfuratio*, locum habet, quando hominibus sese, secundum cutem capitis, scalpentibus, exeunt squamulae quaedam veluti furfures.

§. 231. Celsus hoc fieri ponit non modo in capite, sed in barba, mento, superciliis.

§. 232. Ex glutinoso, pingui humore exsiccato fit.

§. 233. Evanescit autem lotione capitis ex vino myrrato, vel aqua lupinorum, & frequentiori capillorum abrasione, & deterione.

ACHO-

# SERIES MORBORUM

## ACHORES.

§. 234. Quasi *Ichores*, sunt tumores quidem praeter naturam in capitis cute, in quibus apparent foramina; ex his emanant humores tenues, & modice glutinosi.

§. 235. Lotiones ex aquis mineralibus profundunt.

## TINEA.

§. 236. Consistit in ulceribus capitis cutim, capilloisque corruptentibus; ex quibus faedus ichor emanat cum crustis, & deturpatione.

§. 237. Signa haec sunt: apparent crustae quaedam aridae, interdum croceae, interdum cinereae, nonnunquam virides, aut etiam nigricantes, quae nihil, aut parum humoris emittunt, & pili corrupti decidunt.

§. 238. Tinea vetus in alopeciam transfit; recens facile curatur.

§. 239. Capilli sunt volfella auferendi, vel emplastro piceo, ut novus radicibus mutatis mechanismus accedit. Deinde lixivium, in quo semina lupinorum, absynthium, centaurium minus, myrrha, & colocynthis incocta fuerint, pro lotione usurpandum.

## MACULAE QUAEDAM CUTIS.

§. 240. Inutile hic loci est sermonem habere de naevis, vel maculis factus **ex utero**; nam hae

## CUTANEORUM. PARS II. 49

hae, communi fide, immaginationis viribus tribuuntur, quamvis aliquando in locis a manu matris, vel ab eiusdem imaginatione remotis videantur.

### EPHELIDES.

§. 241. Quasi dicas maculas solares. Dicuntur asperitates in facie potissimum erumpentes, & manibus, macularum instar.

§. 242. Ab insolatione producuntur; corripere eos solent, qui diu sub sole morantur.

§. 243. Saepe vero internam causam recognoscunt, ut in gravidis, in quibus erumpunt in facie, collo, mammis, pectore, aliisque in locis, & ab inaequali pressione globulorum sanguinis, & fibrarum nervosarum in papillis cutaneis, oriuntur.

§. 244. Has curat succus limoniorum in ovi albumine dissolutus, vel cochleariae succus cum aqua myrtillorum, vel rosarum albarum.

§. 245. Ad manuum autem, & faciei asperitates, immo ad nitorem, laevoremque conservandum, usurpari potest magma olei amygdal. expressione relictum, & exsiccatum, quo aqua diluto, manus, faciesque lavari, fricarique solent; & quovis sapone præstantius est.

### LENTIGINES.

§. 246. Sunt maculae, magnitudine lentis, subfuscæ, aut flavae, collum, faciem, aut manus occupantes.

MA.

## SERIES MORBORUM

## MACULAE HEPATICAES.

§. 247. Ita dictae vel a bilis colore , vel quod ab hepate factae censentur . Sunt maculae flavi coloris , ad palmae magnitudinem , nunc minores , quae interdum evanescunt cum cutis aliquali asperitate , & squamis .

§. 248. Medentur succo sigilli Salomonis , vel consolidae maioris . Laudatur quoque remedium *lac virginis* dictum , quod ita conficitur : solutio lythargir. in aceto destillato facta ab effuso ol. tartari per deliqu. parato , in liquorem lactis instar albicantem praecipitatur , quo facies bis in die lavetur , & blande fricetur .

## GUTTA ROSACEA.

§. 249. Est rubor faciei pustulosus , guttis interdum sanguineis similis , qui nasum saepe , & genas inaequaliter tingit , & vini potatoribus valde frequens est .

§. 250. Prater interna , extolluntur Saturnina , succus sempervivi , in quo dissolvatur sacharum saturni , vel aqua spermat . ranarum cum oleo tartari .

## MACULAE ERYSIPELATOSAE.

§. 251. Erysipelas cutis quoque affectus est . Serum enim sanguinis naturaliter flavescens , ubi cum paucō rubro intermixto haeret in vasculis serosis cutis , maculas facit rubras subflavescentes .

§. 252.

## CUTANEORUM. PARS II. 47

§. 252. In phlegmonem degenerare facile potest erysipelas ; si nempe dilatentur serosa vaia, maioremque copiam glubulorum purpureorum admittant ; vel si obstruentes moleculae haereant in cellulis adiposis.

§. 253. Varias corporis partes, omnium tamen frequentissime faciem obsidet. Quemcumque autem locum prehendit, vehementer mordicat, & urit. Dolor nec pulsans, nec admodum vehemens est ; semperque fere cum febre invadit, praegresso rigore, horrore, vel frigore.

§. 254. Satis autem velociter dispergi in magnam amplitudinem saepe vidimus erysipelas, subitamque eius evanescentiam, aequa ac, paucis interiectis horis, inexpectatum redditum mirati sumus.

§. 255. Causae erysipelatis variae, Medicisque iam notae ; signaque obvia ; malumque omen portendit morbus, si retrocedat, vel in suppurationem abeat.

§. 256. Suspecta igitur est venaefectio, qua morbi ab extra intus conversio fieri potest ; nisi erysipelas inflammatorium sit, vel urgens symptoma sanguinis missione expostulet ; idemque de purgantibus intelligendum quoque volumus.

§. 257. Externe nil prorsus admovendum cuti ; pars ab ambientis aeris actione tantum tuenda est.

§. 258. Hinc primum locum habet panni linei usus moderate calidi ; vel si nimius fervor in

in affecto loco sentiatur , folia viridia sambuci , vel aqua floribus sambuci destillata tepide applicanda .

## MACULAE SCARLATINAE.

§. 259. Erysipelatosis fere similes ; distinctae tamen , quod eae plerumque faciem , vel si aliam corporis partem infestent , tamen per totum corpus nunquam disperguntur .

§. 260. In scarlatinis autem universa cutis maculis parvis rubris interstinguitur , quae tamen & crebriores & latiores sunt , & magis rubent ; duorumque , vel trium dierum spatio manent , deinde his evanescentibus cuticula desquamatur .

## RELIQUAE CUTIS LAESIONES .

§. 261. Contusio , & combustio ad cutis quoque laesiones pertinent ; ideoque aliis has attexere postremo hic relinquitur .

## CONTUSIO .

§. 262. Vasa per cutim , vel per panniculum adiposum decurrentia longe teneriora sunt ; facile idcirco obtuso instrumento franguntur , vel lacerantur .

§. 263. Mutatur autem cutis color ex contusione in rubrum , fuscum , plumbeum , flavum , viridem ; pro varia quantitate effusi crux-  
ris ,

## CUTANEORUM. PARS II. 49

ris, uti & pro vario tempore elapso post factam contusionem.

§. 264. Levem contusionem ruber color sequitur, minoribus vasis fractis paulum sanguinis fundentibus; qui tamen post aliquot horas magis obscurus fiet in nigrum vergens.

§. 265. Post validam contusionem saepe cito partis laesae color in plumbeum, lividum, nigrescentem mutatur, dum concretus sub acute cruor magna copia haeret in cellulosa tela.

§. 266. Pars interim rubra sanguinis effusi sensim dissipari incipit; & resolvi in serum flavescentia, quod putrefcere quoque potest; ex quibus color flavus pendet, vel viridis.

§. 267. Saepe musculos, nervos, glandulas, ossa laedit contusio; hinc facilis est explicatio paralyfis, contracturae, scirrhi, cariei; quorum series haud cutaneorum morborum provinciam respicit.

§. 268. Cum in contusione vasa attrita, & rupta sint, & liquida effusa, ad curationem spectat, ut liquidum extravasatum venarum osculis resorbeatur.

§. 269. Sanguis autem effusus extra vasum concrescit cito; requiritur ergo ut concretis humoribus fluiditas concilietur, sic ut attenuati facilius minima vasorum orificia ingredi possint.

§. 270. Blandae hinc frictiones, fomenta penetrantia, laxantia, resolventia parti affectae superimposita profundunt; sic & sanguinis missio,

D

sio,

sio, si magna sit inflammatio in loco contusio.

### COMBUSTIO.

§. 271. Mutationem , & laefionem quoque patitur cutis ex combustione.

§. 272. Si enim levis causa fuerit , v. g. a qua fervida , cutis erit rubor , levis tumor , dolor molestus , vesiculae vel nullae , vel paucæ aqua plenae .

§. 273. A causa validiori , dolor acerrimus , vesiculae liquore flavescente plenae , sensus tensionis , & rigiditatis aderit in cute combusta .

§. 274. In pessima autem aduertione , ubi scilicet per validissimam causam destruuntur omnia , cutis fit livida , immo faepius nigra , nullusque sensus doloris erit , scalpello licet purgatur .

§. 275. Ubi levis combustio erit , per se sine medico , & sine cicatrice relicta sponte sanatur .

§. 276. Si vero ruptis vasis , & effusis humoribus , vel iisdem coagulatis per ignem ardentem , vel pulverem pyrium , destruatur humorum circulus ; sola mollissima unguenta tunc profund , ex cera , vitellis ovorum sub prunis ardentibus coctorum , & ol. olivarum confecta .

§. 277. Quum autem post combustionem a validissima causa obortam cutis , & panniculus adipofus consumantur , omni artis molimine curandum est ( maxime in vultu sequioris sexus ) ut deformitas cayeatur .

§. 278.

## CUTANEORUM. PARS II. 51

§. 278. Optimum tunc quod habet ars, est humectantibus ambustum locum continuo emollire, sic ut laxatis vasculis magis elongentur fibrae, atque de perdita substantia hae plus retexant.

§. 279. Spiritus ergo vini, quem Sydenhamus laudat, hic nocet, uti omnia adstringentia, & exsiccantia. Haec enim omnia crustam indurant, fibras accurtant, curationem retardant, morbosque alios arcessunt.

§. 280. Atqui emollientibus remediiis §. 276. 278. in pessima combustione obtineri nequit, ut nullum factae combustionis vestigium maneat. Saltem enim ille locus semper fere cavus erit, magis politus, & resplendens; ideoque post curationem absolutam vicinae cuti colorem dissimilem exhibebit, qui neque ignari, neque periti Chirurgi opere unquam emendabitur.

## RHAGADES.

§. 281. Sunt cutis fissurae longae, & parvae, persaepe superficiales, profundaes interdum, callosa labra habentes; quod accidit, ubi diurnae fuerint. Aliquando siccae, saniem interdum fundentes.

§. 282. Plantas pedum, vel manuum palmas invadunt. Recentes curationem facilem pollicentur; secus si callosae.

§. 283. Rhagadum causa ex praegressa lue interdum repetenda. Huius enim virus nisi aptis remediiis e corpore penitus exturbetur,

furtim serpendo , manus , pedesque aggrediatur , ibique ulcera corrodentia , secundum rugarum longitudinem producit .

§. 284. Plerumque autem fit , ut mulieres ultimis mensibus ( quando nempe prima vice uto-  
ro gerunt ) tantam in abdomine distensionem patiantur , ut , si forte cutis tenerior sit , fissuras , sive rimas dolentes , ac molestas agat .

§. 285. Succo tanaceti rhagades curat Hercules Saxonius , penna iisdem illito . Aquis mercurialibus eas tangunt alii . Axungia porcina cum ol. tartar. per deliqu. facto , id praefstant agyrtæ . Rectius fortasse ex linimentis emollientibus ex mucilagine semen. lin. , foenugr. , radic. althaeæ cum ol. lilior. alb. , curatur morbus .

§. 286. A graviditate , vel partu laborioso si fiant rhagades , unguentum pomatum calide imae regioni apponendum . Hoc enim cutim laxat , eamque flaccidam , ac mollem reddit .

§. 287. Si a lue venerea producantur , particulas causticas inficientes diluendo , educendo , vel demulcendo , curationem ultra perficiimus .

Haec usque pro morbis cutis .

SUM-

S U M M A R I U M  
F O R M U L A R U M

*PRO MORBIS CUTANEIS.*

**Ad §. 164.**

*2*4* Vitell. unius ov.*

*Fol. scord. pulv. drachm. ij,*

*Mell. , terebinth. , O unguent. apostol. ana  
unc.  $\frac{1}{4}$  m.*

**Ad §. 220.**

*Contra capillorum defectum.*

*2*4* Fol. abrotan. maris , O capillor. vener.  
ana m. j.*

*Favi mell. , ladan. ana unc. j ,*

*Myrtillorum drach. j ,*

*Semin. foenugr. , lin. ana unc. iii .*

*Ol. amygdal. dulc. , vin. alb. gener. ana. unc. iii.*

*Facta infus. per hor. 2*4*. bulliant ad humi-  
ditatis consumptionem ; postea f. colatura cum  
expressione. Cum hoc unguento , crescente Lu-  
na , inunctio fieri debet .*

*Vel ad pilorum generationem pro-  
movendam .*

*2*4* Ol. abrotan. maris stillat. unc.  $\frac{1}{4}$  ,*

*Ladan. drach. vij ,*

*Axung. urs. drach. ij m. f. unguent.*

## Pro denigrandis capillis.

Ad §. 226.

24 *Myrabolan. nigr. unc. j,**Vin. nigr. adstring. lib. iii.**Pascul. nigr. unc. ij.*

*Bulliant in dupli vase, lento igne, ad consumpt. duarum tertiarum, deinde add. succ. cortic. nuc. virid. lib. v. Sumak, acac. ana unc. j, caryophyll. solid. unc. j ÷. Ponantur iterum ad ignem & sine ebullit. detineantur per horas xij.*



S E R I E S  
MORBORUM  
PARTIUM GENITALIUM.

*Quisquis ad has literas impudicus accedit ,  
culpam refugiat , non naturam ; facta de-  
notet turpitudinis suae , non verba no-  
straæ necessitatis .*

**Div. August. lib. 14. de Civ. Dei.**



§. I.

**A**NATIVITATE qui hominem ad terminum usque vitae perpendit, sortem eius ubique miseram intuetur.

§. 2. Hanc tamen prae reliquis, genitalium partium satis ostendit malorum agmen, quorum tractationem hic persolvendam modo suscipimus.

§. 3. Verum inter genitalium morbos nonnulli subrepunt, qui utriusque sexui communes sunt. Talis est Gonorrhœa, quae modo ab homine, modo a femina propagatur; vel Sterilitas, quae ad mulierem, tamen saepe ad virum referri quoque potest.

§. 4. Rursus peculiares alii morbi sunt, qui feniinas tantum corripiunt, ut clitoridis exscentia, vaginae prolapsus, menstruorum suppressio, vel immoderatum profluviuim, fluor albus, uteri hydrops &c. testantur.

§. 5. Tandem alii virorum genitalia praecipue invadunt, ut evidenter priapismus, lipo-der.

## 58 SERIES MORBORUM

dermus, phimosis, paraphimosis &c. demonstrant.

§. 6. Totam hinc *de Genitalium morbis* disquisitionem in triplicem morborum seriem dividere licet, quorum & theoriam, & curationem, pro viribus exequemur.

### S E R I E S I.

#### DE HIS, QUI UTRIQUE SEXUI SUNT COMMUNES.

##### GONORRHAEA.

§. 7. Quidquid in machina corporis humani accedit, id vel secundam naturam, vel praeter naturam mechanicis legibus absolvitur.

§. 8. Ut itaque clarior de Gonorrhœa notio habeatur, nonnulla ex anatomicis leviter delibare parati sumus, quae præcipua pudendum partium organa respiciunt.

§. 9. Semen primo in testium canaliculosa substantia elaboratus, in epydidymides transit, quae testiculorum in parte superiori, bombycis similitudine incumbunt, & fere ut testes, vasculosam structuram habent; vasculis tamen magis conspicuis gaudentes, & genituram ulterius digerentes, ac perficiientes.

§. 10. Ab epydidymide autem qualibet canalis robustus albicans exurgit, *vas deferens* dictum, & in parte anteriori partim rectâ in urethra, partim oblique in vesicula seminali de-

## PARTIUM GENITALIUM. 59

desinens , sic ut liquidum suum in utramque deponere possit , pro necessitatis exigentia .

§. 11. Quoniam vero praeter semen , simul etiam albicans liquor in prostatis genitus , per urethram excernitur ; hinc earum quoque usum , & fabricam nosse oportet .

§. 12. Prostata igitur est unicum corpus globosum , quasi cordiforme , mox ante collum vesicae positum , & totum urethrae principium cingens .

§. 13. Substantiam habet glandulosam , & spongiosam , quae tamen membrana robusta quoque tegitur .

§. 14. Liquorem ideo albicanem secernit , qui per foraminula sua x , vel xij pro lubricanda urethra , & vehiculo semenis inservire videtur .

§. 15. Semen autem in receptacula membranacea & cellulosa ex vasis deferentibus influens §. 10. , ad tempus in iis colligitur , & reservatur . Ubi ergo illius copia , vel oestro , vel acrimonia , seminales vesiculae , vel prostatae laxantur , vel irritantur , semen & prostatarum simul liquor invite per urethram eiiciuntur .

§. 16. Patet hinc , gonorrhœam optime definiri : involuntarium & diuturnum semenis , vel liquoris semini analogi ex genitalibus stillicidium .

*Schol.* Leve quoddam , & animadversione vix dignum malum ; brevi tamen in horrendum , & indomitum saepe mutatur . Vah , quoties aegri ,

60 SERIES I. MORBORUM

aegri, vel medici errores suos hic doluere!

§. 17. Quum sine doloris, vel ardoris sensu liquor aequaliter tinctus & albicans prodit, *benigna* contingit *Gonorrhœa*; quae plerumque ex deicto tono vasorum seminalium, vel seminis nimiâ copia originem dicit.

§. 18. Verum si primo in glande, tum in radice urethrae, vel per totum eius ductum urens percipiatur dolor; interim excreti color admodum flavescit, vel viridescit, *gallica* tunc, vel *virulenta* audit *Gonorrhœa*, quam saepe molestissima penis tensio comitatur.

§. 19. Sequitur ex coitu impuro. Semine enim emiso flaccescere incipit penis, qui hoc momento temporis valde bibulus, facile intra cellulas suas rapit tenue halitum contagium, quod illius superficiei applicatur.

*Schol.* Venerei contagii naturam exacte demonstrare nunquam haëtenus licuit. Alii ab acrimonia rodente; alii a sale alchalino corrosivo; probabilius alii a tenuissimo fluido sulphureo, sive phlogisto aethereo, & fermentativo principio derivare contendunt, quod ulti- rius dispersum reliquos corporis succos eadem labore contaminat.

§. 20. Hinc ad lympham, vel ad seminali- liquorem translabitur, eiusque naturalem crasim mutat, inquinat, & destruit.

§. 21. Quin urethrae membranis haud par- cit prospersens contagiosum virus; & specie edacis cancri prostatarum glandulosum corpus,

in-

## PARTIUM GENITALIUM. 61

inguinum quoque glandulas , & penis cellulas exulcerat ; mox etiam in testiculos migrans , iam iam sanguinem , & reliquum corporis absumptum , nisi tempestive succurras.

§. 22. Ergo ex uno morbo alia sexcenta oriri possunt mala ; atque ab eadem causa modo unum , alterum modo morbi genus in scoenam prodire conspicies .

§. 23. Perspicua tamen diversorum phaenomenorum ratio ex hoc unice arguenda .

§. 24. Si enim lues vix in extimas partes , vel extimis propiores vim suam leviter exerat , *ulcera* hinc inde in pudendo fiunt .

§. 25. Si urethrae tunicas , vel prostatam , vel feminis vesiculas &c. contagium afficiat , *Gonorrhœa* accidit .

§. 26. Si per lymphatica vasa , quae Cowperus a praeputio ad inguina abire demonstravit , inguinales glandulas invadat , *Bubo fit venereus* , sive tumor durus , latus , & indolens .

§. 27. Si profundius malum obsederit , & circa urethrae initium , ubi vesiculae semen effundunt , oriatur inflammatio ; tunc vascula haec a tumore compressa , semen ad vesiculas deducere nequeunt ; unde *testium tumor* .

§. 28. Verum ubi Gonorrhœa inveteraverit , vel si minus recte tractata fuerit , miasma per lymphatica vasa ad sanguinem abit ; hinc capitatis , artuumque dolores , præsertim nocturni ; *ulcera fauci* , ossium exesio , macies universi corporis cum faciei pallore , & hujus generis erum-

## 62 SERIES I. MORBORUM

erumpunt alia , miseros scortatores afficientia.

§. 29. Facilis est utriusque Gonorrhœæ §.  
17. 18. diagnosis . An autem in *virulenta* glandis spongiosum corpus , an prostata , an vesiculae , an urethra male affecta sit ? hic labor , hoc opus .

§. 30. Locum autem urethrae infectum indicabit dolor modo in apice glandis , modo in urethrae parte , in tota modo ipsius longitudine perceptus .

§. 31. Glandulosum prostatae corpus corripi docet corrupti liquidi largissimus fluxus , catheteris difficilis immissio , & in primis si absque manifesta causa subito sentiat aeger lo- tium saepe intercipi .

§. 32. Vesicularum seminis exulcerationem denunciat medico geminata , vel saepe contracta , inveterata Gonorrhœa , qua ob continuatae fabricae commercium fit , ut in totum illum cellulosum apparatus brevi contagium propagetur .

§. 33. At in glandis fungoso corpore haerens , cognoscitur faedo assiduo madore , qui in glandis superficie transudat , lente exit , vel ubertim a presso glande exprimitur .

§. 34. Propagari itidem malum per generationem , & lactationem , aequa ac per coitum , observationes docent .

§. 35. In nulla tamen parte , quam in celulosa tunica , virulentiam suam exerere putavit Boerhaavius . Mollis enim est haec membra na , laxique contextus ; faciliorem itaque labem , la-

## PARTIUM GENITALIUM. 63

latiusque serpentem concipit , quam reliquae partes , fortasse quia firmioris texturae.

§. 36. Abunde etiam constat , in feminis hunc morbum non ita insaevire , ut in viris videmus . Illas siquidem diu vivere interdum sinit ; hos contra , nisi curetur , ad exitum usque perducit .

§. 37. Dissectis vero hac labe affectis mulieribus , corpus glandulosum , sive locum ubi lacunae circum , & in meatus urinarii exitu collocantur , plerumque male affici .

§. 38. Hinc petenda ratio , quare feminae foetum in utero infontem ferre possint , & tali labe minime inquinatum .

§. 39. Supereft Gonorrhœae curatio , quae ut rite absolvatur , utraque morbi species §. 17. 18. seorsim prius expendenda .

§. 40. In benigna quidem Gonorrhœa partes nimis relaxatae & flaccidae accommodatis tam internis , quam externis auxiliis roborantibus sunt confortandæ .

§. 41. In principio igitur pillulae , vel boli ex rhabarbaro torrefacto , & cascarilla cum paukillo terebinthinae , iisque mane per tres , vel quatuor dies repetendi , optime quadrant , sero emulsionem parando , quallem ad hunc numerum in 2. *summario* ponimus .

§. 42. Verum in magna pravorum succorum dyscrasia , vel colluvie convenientibus prius laxantibus impuri seri copia evacuetur , & ex parte affecta derivetur .

§. 43. Utilissimum hinc , vel aliud huic praefe-

## 64 SERIES I. MORBORUM

ferendum infusum ad unc. iv, vel v. ( vid. hunc num. in *Summ.* ) quod per plures vices alternis diebus adsumatur.

§. 44. Interim regioni pubis per noctem sacculum imponendum ex fol. myrti, rosar. rubr., balaust., cortic. granat., nucyft. in viño rubro decoctis.

§. 45. Balnea ex speciebus nervinis, & roborantibus composita efficaciorem virtutem praebent; corpus namque universum roborant, & perspiratione interdum ad sudorem aucta, optima humorum a partibus affectis fit derivatio.

§. 46. Si haec non profuerint, ad contraria te convertas. Balneorum frigidorum usum ideo commendabo. Nec scio, hoc repudiato, in quo salutis spes posita esse possit.

§. 47. Adaequatum tamen diaeteticum regimen in hoc morbo instituatur.

§. 48. Primo veneris exercitium vitetur, & fortior corporis motus. Abstinendum a cibis leguminosis, salitis, inflantibus. Exulet vini potus, cuius loco decoctum conflatum ex radic. scorzonerae, santal. rubr., lign. fassafr., & passifl. minor., aegro propinandum erit. Sed omissis decoctionibus, aquae ferratae *Lucullanae* potius acquiescerem.

§. 49. Ceterum in curatione perfecte adimplenda, aegrotantis semper habitum, & naturam inspicere convenit.

*Schol.* In phlegmatica e. g. & segniori constitutione, roborantibus semper sufficiens cor-

po-

## PARTIUM GENITALIUM. 65

poris expurgatio praemittenda. Nisi enim com-mode morbi pabulum subtrahatur , parum , vel nihil levaminis patiens inde percepturus.

§. 50. Recensita iam benignae Gonorrhœæ curatione , altera sequitur malignæ , & virulentæ naturæ .

§. 51. Haec , si rite tractetur , non adeo difficilis , ut vulgus medicorum putat.

§. 52. Saepissime autem accidit , ut imperius curatio committatur . Nullus enim empiricus , nemo ex tonsoribus , vel pharmacopolis invenitur , qui præcipuum suum pro Gonorrhœa secretum non crepet.

§. 53. Hinc fit , ut malum adstringentibus alii intempestive sistant ; alii longo aperientium usu intus suscepimus virus expurgare , ut inquiunt , inconsulto incumbant , in oppositum humani generis solatium .

§. 54. Nihil inde mirum , si arduum adeo , & laboriosum , hunc affectum sanare , experiamur . Non enim unus morbus , sed morborum agmen ex perversa methodo tractandum nobis occurrit .

§. 55. Genuina autem , & tuta curandi ratio in eo versari debet , ut ea , qua fieri potest , celeritate , externis , & internis remediis susceptum iam venenum aggrediamur .

§. 56. Primo enim ptisanam , vel aq. solitavam P. Aemil. singulis diebus exhibere præstantissimum est .

§. 57. Neque minorem , praesertim in urethra ulcerata , pollicentur fructum , si eodem

E

tem-

tempore iniectiones usurpentur, quales ad hunc numer. in *Summ.* Quidquid velit Pitacarnius, iniectiones plurimum damnans, quia carunculis ortum facile praebent.

§. 58. At noxiae revera non sunt iniectiones . Opus enim peritam manum expostulat, ex qua callositates, & carunculae minime sunt pertimescendae.

§. 59. Potiori iure ab aqua dicta d' *Argubus ade*, vel calcis vivaे, quam Hoffmannus pro syringationibus suadet, abstineamus. Tantum enim abest, ut boni tantillum afferat, ut potius intolerabilem excitet ardorem, & urinae suppressionem.

*Schol.* Vinum siquidem, vel vini spiritum dum ore assumunt, tam adeo infensum sentiunt, qui Gonorrhœam patiuntur. Quid ergo expectandum ab immediato horum spirituorum contactu?

§. 60. Adstringentia quoque adversus Gonorrhœam usurpari solent. Leviora nihil praestant; validiora deteriorem morbum efficiunt.

§. 61. Sufficiat therebinthum. Abstergit enim resinosus hic succus, viribusque suis immutatis balsamum iucundum praebet affectis locis.

§. 62. Radix pareirae bravæ plurimum quoque valet ad ulcus in gonorrhœa abstergendum, & sanandum; praesertim si urinae suppressio eam comitetur. Calidum hinc huius exoticæ dococtum, sed parva dosi, cum therebinthina, feliciter exhibere soleo.

§. 63.

## PARTIUM GENITALIUM. 67

§. 63. Venenum tamen gallicum expugnandi propium, & unicum habent mercurialia.

§. 64. At in Gonorrhœa non semper frumentum praebere, experientia satis docet. Constat enim in iis, qui & Gonorrhœa, & ulceribus simul laborabant, mercuriali unguento ulcera fuisse sanata, sed gonorrhœam remansisse.

§. 65. Hoc autem evenire censet Boerhaavius, quia mercurius sola vi vitae actus hoc malum sanat; ideo haud valet expellere venereum tabum, quando hic figitur in locis, ad quae actio cordis, & arteriarum vix pertingit; ideo nunquam sanat Gonorrhœas in sola penes cellulosa parte haerentes, per quam vix ullus circumieuntium humorum impetus est.

§. 66. Gravissimum tamen ptyalismi remedium suscipit Gonorrhœa, quando haec in solidari prostatarum glanduloso corpore nidulantur.

§. 67. Verum enim vero de peculiari, sive specifica mercurii dulcis medicata virtute alter sentiunt Medicinae cultores.

§. 68. In praxi nullum est compositum celebratissimum, quod non ingrediatur mercurius dulcis sive in pillulis, sive in injectionibus, ad delendam gonorrhœam.

§. 69. Haec qui promittunt, vel fallere, vel falli certissimum est. Mercurius namque tuto nunquam delebit venereum luem, nisi haec vel alvi copioso fluxu per intestinales glandulas, vel sudore, vel salivatione potissimum ex-

## 68 SERIES I. MORBORUM

pellatur . Nullum autem ex his salutarem motum videre contingit in mercurio dulci ad aliquot grana exhibito .

§. 70. Potius ergo acrimoniae ulcerosae causticae veneni gallici temperandae , ut & viscositati solvendae mercurius dulcis fidem relinquit .

§. 71. Constat autem nihil magis obstatre felicitati citae curationis , quam membra virilis inflatio , dum distentae cellulæ ab arterioso fervente sanguine , laesam fabricam laedunt magis , contagium excitant , acuunt , movent , miscentque sanguini .

§. 72. Hinc violenta exercitia , quae curru praeteritum , & equo fiunt , vitanda sunt ; quidquid prurientem imaginationem titillat , ut cum muliebri sexu conversatio , ciborum condimenta , bulbi , carnes , ova , pisces , vina &c. cane , & angue peius fugienda sunt . Coena nulla sit , praeter panem biscoctum , & passulas . Potus sit lactis serum , vel decoct. cortic. guaiac , falsaparill . cum glycyrriza .

§. 73. Novi promissa circulatorum , se , intra quatuor dierum spatum , illustres viros curatuos in lautis natantes conviviis , equitantes , & voluptatum omne genus exercentes . Sed undenam panaceam talem invenient ? Collophonia praesto est , pulveres constringentes , balsamum , opobalsamum .

§. 74. Sed mihi , & haec conanti haud licuit esse tam beato . Quin & saepe dolui , dum sic sanatam vidi , iterum recruduisse , per reliquum

## PARTIUM GENITALIUM. 69

vitae tempus excurrentem, molestissimam, pertinacissimam gonorrhœam.

§. 75. Ars interim nobis inania iactare carentibus, alia tutiora pollicetur auxilia, quæ ex balneo, & emollientibus parantur.

§. 76. Si enim convulsio penis gonorrhœam sequatur, pars affecta in lacte tepido, & aqua fol. malv. saepius immittatur; vel linteas calido lacte imbuta peni circumponantur. Foven-  
tur enim, emolliuntur, laxantur partes, intusque haerens contagium extorsum quoque al-  
liciunt.

§. 77. Postremo si galici veneni vis fluidorum, & solidorum partes inquinaverit, & corpus maculis, & pustulis hinc indo erumpentibus defaedetur §. 28., duo supersunt adhuc validiora praefidia, quibus tota inquinatorum humorum colluvies ex intimis solidarum & fluidarum partium latibulis eiici, & exturbari poterit, per copiosum scilicet, debito tempore, institutum salivæ profluvium, & per largiorem pauloque diutius protractum sudorem.

§. 78. Quoad priorem curandi methodum attinet, quæ mediante salivatione perficitur, potest haberi vel unctione mercuriali, vel usu mercurii dulcis interno per plures dies. Sed multæ hic cautiones requiruntur, tironibus meis iam perspectæ.

Schol. Adhiberi quoque his temporibus de-  
cet sublimati corrosivi internus usus, a quo abstinendum, si methodus ignoretur. Haec ta-

## 70 SERIES I. MORBORUM

men ex Richardo Wisman, Van-Swieten, Bona, Haen &c. addisci facile potest.

§. 79. Altera iuis curatio mediante sudore absolvit potest.

§. 80. Verum non omnis generis remedia sudorem pellentia, huic scopo apta sunt, sed ea requiruntur, quae cutis meatus excretorios aperiant, & omnes corporis humores adeo solvant, ut specie sudoris sponte de corpore eliminantur.

§. 81. Siripi hinc sudoriferi conficiendi formulam dedi (ad hunc num. in 2. *summ.*) qui mane & vespere per dies novem adsumi poterit, ad sudorem exprimendum.

§. 82. Hoc enim sirupo in subtilitatem conversi humores, universi de corpore expelli possunt per sudorem, & urinae quoque vias. Sequentes tamen canones memoriae infigendi sunt.

§. 83. Primo die purgatio instituenda, antequam sirupus administretur, ex aqua angelica solut., vel P.Aemil., vel pillul. mercurialibus.

§. 84. Secundo die, post assumptum sirup. ad unc. iii, quatuor vel 5. horis elapsis, mane & vespere (ut vitae & viribus consulamus) cibus solum exhibendus ex pane, & carne affa vitulina, vel pulli.

§. 85. Dum sirupus exhibetur, tempesta sit calida, & maneat æger in conclav. bene claus., vel lecto se se contineat.

§. 86. Operæ iam completo, elapsis scilicet die-

diebus IX. ab assumptione sirupi , aer paulatim excipiens , quantitas cibi sensim augenda , & potus ex falsaparill. decocto continuandus usque ad dies 40.

§. 87. Tum seducta iterum alvo per aq. solutivas §. 83. ab oleofis , pinguibus , falsis &c. cavendum est , vino potissimum , & venere.

*Schol.* Hac methodo , & cautelis Teate hominem fere conclamatum curavimus , qui ob vagam libidinem primum molesta gonorrhaea laboravit , & hac cohibita acerba luis venereac symptomata passus est . Corrupti enim , factidique ichoris sanguine tinti per os excretio erat , faucium interiora , & glandulae praesertim amygdalae faedis obsidebantur ulcusculis . In sincipite gummosus tumor aderat ; macies corporis , & ad motum impotentia . De tuffi quoque , & nocturnis artuum , & capitis doloribus fortioribus conquerebatur . Chirurgus consulebatur , qui mercuriale unctionem commendabat . Sed opem meam requirens , anceps tum de mercurio propinando , sirupum falsaparillae suadebam ; cui obsequens aeger , ptisanam purgantem priujo assumpsit . Tertio vero die sudore iam largissime secuto , variae hinc inde pustulae ardentis , & dolentes per cutim erumpabant . Urina copiosior ; & per alvum quoque mucosae deiectiones quotidie eiiciebantur . Verum faedissima illa faucium ulcuscula in dies ob sudorem , aliasque excretiones invalescebant ; gummosus tumor maior , sed mollior , qui ferro tandem apertus est , copiosa materia erump-

pente . Interim vigefimo primo die iam exato , ulcera , tussis , cum doloristicis artuum , capitisque lancinationibus feliciter expirarunt . Uno verbo dicam ; eo res tandem devenit , ut iterum functionibus vitæ fungi valeret , perfecte sanus , hilarisque vivens non sine urbis admiratione .

§. 88. An credas inesse cortici Guaiaco nobiliorem vim , qua venereant labem oppugnare queas ? Illius enim usum ab Indis in Europam invectum , diuque consepultum , ad proxim inde revocasse primum scio Hermannum Boerhaavium .

§. 89. Circumspecte tamen videndum non quid possit in gallico contagio , sed quid debeat huic , vel illi subiecto commodius applicari . Hoc totius artis caput est . Haec laudatissima calcanda via ; per hanc prosequi , Medicinae filii commissum opus spectat .

§. 90. In usum quoque venit guaiaci gummy in gonorrhœa virulenta , vel ex se solo , vel aliis appropriatis admixtum a gran. vij. ad 20. in forma pillul. , vel alio conven. liquore exceptum , vel vinō albo infusum .

§. 90. Verum mihi molestus nemo fit , provenereo morbo praecavendo remedium quaerens . Ecquod enim haec tenus innotuit arcanum , ut lues , si qua timeatur , fore arceri possit ?

§. 91. Id tamen iactitant agyrtæ , qui proximum ludere potius , quam morbum praecavere , in deliciis habent .

§. 92. Parcat igitur ignarum vulgus ; parcant .

cant & Medici tantis remediorum formulis , Veneris palaestram qui cavet , venereum morbum praecavere tantum valet .

§. 93. Unum porro eximendum hic superest . Nonnullos enint extitisse fertur , qui infectis licet cum mulierculis rem transegerint , labem evasisse tamen compertum est .

§. 94 Cuius rationem , nisi ob strictiorem , minusque penetrabilem glandis compagem eveniret , intelligit nemo . Sed in his ulterius immorari iam taedet .

### STERILITAS.

§. 95. Quando mulier , aut vir ad eam aetatem , qua ad concipiendum habilis esse debet , & non concipit ( consuetudine utens ) hic , vel altera laborare dicitur sterilitate , quae quantum priscis fuerit odiosa , sacrae literae declarant .

§. 96. Haec autem concipiendi impotentia ex pluribus , & diversis causis excitari potest .

§. 97. Hippocrates (a) has recenset : *Si os uteri distortum , & omnino adversum sit a pudendo . Si uterus nimium pateat , quam conveniat . Si os uteri ex pudendo exciderit . Alias quoque sterilitatis causas tradit , quae tamen*

(a) *Lib. de Sterilit.*

men doctrinam & gravitatem Hippocratis minime redolent.

§. 98. Aristoteles ex parte marium penem longum accusat (*a*). Galenus addit frequentiores concubitus (*b*). Sed utriusque sententia probabiliores faecunditatis , quam sterilitatis causas praebere videtur .

§. 99. Sunt qui Saturnum , vel infaustos Lunae aspectus culpant . Horum autem observatorum sectam astra deceperunt .

§. 100. Alii ex maleficio sterilitatem colligunt , quae non raro potius ex occulto inter conjuges odio , timore , vel morbo esset deducenda .

§. 101. Quiae verae quae frequentiores sint sterilitatis causae , paucis modo indicabo .

§. 102. Ad conceptum maris , & feminae concubitus requiritur . Constat ergo debet , sterilitatem aut maris , aut feminae , aut utriusque vitio fieri .

§. 103. Cum autem ex parte viri , testes , semen , genitale ; in feminis pudendum , uterus , ovarium &c. generationem proxime respiciant ; patet facile , quemlibet morbosum affectum tum maris , tum feminae in singulis propositis partibus posse faecunditatem vel imminuere , vel prorsus auferre .

§ 104. Primo enim neque in toto corpore ,  
ut

(a) *Lib. i. de generat. animal. 6.*

(b) *Lib. i. de femin. c. 16.*

ut Hippocrates (*a*) , neque in vasis spermaticis , ut Aristoteles putat (*b*), sed in testibus generari semen , certissimum est . Testis enim ex meris , & tenuissimis tubulis conficitur invicem convolutis , per quos a sanguine secernitur delibatissimae lymphae nutritiae portio , quae semen dicitur .

§. 105. Hinc sequitur , testes diuturno tumore , ulceribus obsessos , induratos , vulneratos &c. steriles , & infaecundos fieri .

§. 106. Quod semen spectat , observatione constat , tanto saniorem , & faecundiorem fieri seminalem lympham , quando maturior , magisque excocta , & subtilis erit .

§. 107. Quam ob rem si aquosum , vitiosum , sive ad conceptionem minime accommodatum generetur semen , ovulo faecundando impar quoque erit .

§. 108. Causa ipsius genitalis contingit sterilitas , si nempe elatere suo musculi erectores destituantur ; vel hoc fiat vitio aetatis , vel pthisi , lue venerea , vel cerebri stupiditate .

§. 109. Ex parte mulierum concipiendi defectum quoque diximus §. 102. , 103.

§. 110. Si enim alae , vel pudendi labia inter se cohaereant ; vel si labiis patentibus , in medio sinus aliquod innascatur , quod viam , & transitum impedit ; ad vivorum usum , &

con-

(a) *Lib. de genitur.*

(b) *Lib. 4 de gener. animal.*

## 76 SERIES I MORBORUM

conceptum impotente reddis mulieres necesse est.

§. 111. Sed inter sterilitatis causas principem locum occupat uterus. Hinc enim tamquam ager est, in quem sparguntur semina. Ergo nisi ad concipiendum sit dispositus, nulla ratione conceptus fieri unquam poterit.

§. 112. Hinc fluor albus, uteri scirrhos, cancer, hydrops, prolapsus &c. coniectariam habent sterilitatem.

§. 113. Neque silentio praetereundum est seminarum ovarium, vesiculas sphoericas humore albagineo plenas, nunc plures, nunc rariores continens, in quibus prima foetus rudimenta delineari, constans fuit usque sententia.

§. 114. Verum si vesiculae, vel ovula ista deficiant, vel ad maturitatem nunquam perveniant, vel alio modo infaecunda fiant, conceptum apprime impedient.

§. 115. Ovarium sequitur tubarum Fallopianarum clausura. Tradit enim clariss. Antonius Meniotius (a) : *Si tot cadavera non secuissem, nunquam credidisse, tubas Fallopianas, sive oviductus tam frequenter esse clausos.*

§. 116. Pro curationis opere perexiguus est medicinae locus. Diligenter autem inquirendus, an viri culpa, an mulieris generatio im-

pe-

(a) *In dissert. patholog. de Sterilit.*

pediatur. Frustra enim femina remediorum usu torqueretur, si ad hominam sterilitas referatur.

§. 117. Genitura virilis est soboles succi nutritii optimi §. 104, ea propter qui benigno, temperate spirituoso alimento fruuntur, qui-que succi nutritii, & sanguinis copiam inge-nerant, tardiusque congregantur, ii ad sae-cundandam sobolem, atque ad coitum sunt aptiores.

§. 118. Musculis genitalium resolutis, quae partes roborant, quae conceptionem adiuvant, quae veneris stimulos augent, multa & varia excogitare Medici solent. Sed ex his, si ia-stantiam subtrahas, pro reblutis fibris quid boni supereft? Aegri viderint.

§. 119. Solo ammi semine (quod tamen ab Alexandria venit) mulierum sterilitatem curat Matthiolus. In puborem enim contritus, ad drachmae pondus, in viro generoso, alter-nis diebus, tribus horis mte cibum, futura certo pollicetur prolem. Oh paeclarum! Se-mini quippe mirifica vis inest, exoticо pae-sertim, ubi indigena sit nfaecundum. Sed res silentio transfigenda.

§. 120. Si a pudendi causura, profluvio al-bo, uteri fcirrho, prolapi &c. oriatur sterili-tas, causarum remotioni si id fieri possit, in-cumbendum est. Sed quic ab arte tam saepe sperari licet! Medicus esnaturae minister; si natura faecunditatem refuat, quidquid ille me-

78. SERIES II. MORBORUM.

meditetur, & faciat, naturae non imperat.

¶. 122. Fraens itaque coercenda, praefertim sequioris sexus cupiditas, dum nimis sollicite pro curanda sterilitate, remedia quaerit. Secundam enim, & firmam valetudinem toties turbant, immo feracem saepe, loco filiorum, morborum progeniem pretio emunt incautae mulleres. Unde sapiens effatum: *Non accipimus brevem vitam, sed facimus.*

S E R I E S . II.

DE MORBIS , QUI PARTES GENITALE  
LES MULIERUM SPECTANT.

CLITORIDIS EXCRÉSCENTIA .

§. 123. Superius parte media , inter alas pudendi prominet exiguum teres corpus , quod *Tentigo* , *Clitoris* , *virga muliebris* nominatur . Virgae enim virili respondet substantia , tentigine , & resolutione .

§. 124. Nonnullis immo feminis in maiorem longitudinem , ad formam virilis penis excrevisse , observatum est .

§. 125. In belluis quoque haec ludibria evenire , curiosi observatores tradunt .

§. 126. Pro hermaphroditis habentur ; feminas revera esse constat ; clitoris tamen iis in maiorem longitudinem solum excrevit .

§. 127. Hic etiam spectat historicorum error , qui feminas in viros mutatas testantur , in vulgi opinione stultissime abrepti .

§. 128. Ita Pontanus in piscatoris uxore . Plinius in sponsa illa Africana . Amatus Lusitanus , aliquique plures has nugas confirmant .

§. 129.

80      SERIES II. MORBORUM

§. 129. Minus vero Atheniensium , & Romanorum error ferendus est , qui Hermaphroditos in mare proliiciebant , ut refert Alex. ab Alex.

§. 130. Quid peragendum , quid fugiendum sit in hoc morbo , restat modo , ut expediamus .

§. 131. Primo autem corrosivis mercandum non est in clitoridis excrescentia . Hanc enim auferre studens Platerus , eam filo in materia erodente imbuto circumdedit ; tanta autem suborta est inflammatio , ut ab incoepio se declinasse scripserit .

§. 132. Resecandam alii ferro suadent . Verum huiusc partis vulnus non adeo facile cicatricem suscipit . Tutius idcirco videtur partis ipsius augmentum minere , vel prohibere , quod discutientibus , siccantibus , leviterque adstringentibus obtinetur .

§. 133. Si haec non sufficient , caustica mitiora ex alumine tum adhibenda .

§. 134. Verum si utraque via , quod superfluum est , tolli nequit , desperatorum littus patet ; alia atque alia periclitemur .

§. 135. Clitoris filo serico , vel capillo equino circa radicem prudenter ligetur , & quotidie constringatur , donec tandem emortua decidat pars . Hoc facto vulnus vino , in quo folia lauri , myrti , rosar. , balaust. , & similia incocta fuerint , saepe abluatur .

§. 136.

§. 136. Interdum tamen nullum mulieribus incommodum faceſſit morbus ; ſatiuſ tunc forer , ut ab omni molimine Medicus fe abſtineret.

VAGINAE PROLAPSUS .

§. 137. Musculis ani resolutis , extra prominet recti intestini pars extrema , qui morbus ani procidentia vocatur . Hoc autem ad uterum applicato , eumdem morbum frequenter gigni putat Medicorum agmen .

§. 138. Aetius quidem uterum ad ovi maiusculi magnitudinem extra corpus procidere posse tradit .

§. 139. Riverius illum ita relaxari posse scribit , ut ad femora usque devolvi poffit .

§. 140. Platerus uteri prolapsu laborantem feminam novit , quae tamen concipere , & utero gestasse impudenter scribit .

§. 141. Paulus Aegineta vivam pronunciat mulierem , cui uterus abſcifſus . Sed haec fabula , & fabulosa ſunt .

§. 142. In quibus illud magis mirandum , ifthaec tam ferio ab illis tractari , ut veras hiftorias nobis tradere videantur .

§. 143. Nec minorem excitat rifum Aristoteles , qui uterinae procidentiae cauſam venereum appetitum dicit , eamque curari minime posſe , niſi gravidatione .

§. 144. Alii ad ruptionem ligamentorum uteri configuiunt , quos inter ſalutare liceat

Andream Laurentium, Bartholinum, Carpum,  
Paraeum, Hildanum.

§. 145. Verum enim vero, si tantum laboris sumerent venerabiles hi medicinae Patres in uteri structura, eiusque ligamentis validis perspiciendis, quorum ope vesicae urinariae, intestino recto, ossibus pubis, &c. uterus ipse adnectitur, minus facile separationem hic ullam dari dixissent, nisi quae cultri acie peragitur; vel quae ab obstetricibus violenter fit, dum secundinas arctius utero adnatas extrahere nituntur.

§. 146. Ergo per laxitatem colli, quae extra pudendum prominet, morbum plerumque fieri cum Theodoro Kerckingio crederem. Tunicae enim vaginae rugosam extorsum labi, vel extirpari facilius est, quam uterum ipsum.

§. 147. Quare ex observationibus Thom. Bartholini ostendit pluries Petr. Marchettus non esse uteri procidentiam, sed excrescentiam aliquam in vagina uteri, adeoque abscondendam.

§. 148. Quis autem Isbrandi Diemerbroeck testimonium non veneretur? Hic enim in concubina Satrapae Leerdammensis uterum vidit ad duorum digitorum latitudinem e sinu propendere, quem manibus suis tractasse scribit, & convenienti instrumento versus interiora ita reposuisse, ut nunquam amplius prociderit. Credat qui velit. Ego enim censor esse nolum tanti viri, qui adeo facile uterinum prolapsum curare a divino auxilio impetravit.

§. 149. Maioris ponderis est Hippocratis doctrina, qui variis in locis uteri prolapsum profert.

§. 150.

## PARTIUM GENITALIUM. 83

§. 150. Sed aequo animo bonus Senex feren-dus est. Novum enim non est, vel.rarum, ut vaginae prolapsus, vel fungosa excrescentia ute-ri procidentiam, vel inversionem simulet, si praesertim ab imperitis, vel praesbytis obstetri-cibus, quae pudendum perlustrant, Medicus deceptus alios quoque decipit, libris suis falsa obtrudendo, quibus fama aliquam veritatis spe-ciem adiecit.

§. 151. Zacutus Lusitanus ad hunc affectum persanandum molitus est infessionibus adstrin-gentibus, pessariis, emplastris, confectionibus &c. sed laboriose luctatus nihil profecit. Tan-dem ad hoc praesidium accessit. Supposuit mul-lieris cruribus mures filo alligatos, qui per fe-mora vagantes, ingentem aegrotanti timorem tulerunt. Uterus interim in propriam sedem repente remeavit.

§. 152. Aequo mirabilem uteri repositionem tentat Rodericus, si nempe Chirurgus, vel Medicus ferrum candens manu ostendat, quod in uterus immittere velle fingat. Sed his in-ventis uti liceat Lusitanis, & Rodericis.

§. 153. Vaginae reductio in naturalem locum rectius obtinetur, si mulier in dorsum supina recumbat, cruribus divaricatis, & ob-stetrix manu prolapsam premat vaginam, sic que invertendo adigat, donec in locum suum reducta sit. Si aegre hoc succedat, cereâ can-dela oleo inunctâ sensim intrudat.

§. 154. Lecto se contineat patiens, fotibus adstringentibus pudendi regioni adhibitis, &

intra vaginam pessaria , vel globulos cereos detinere sinat .

§. 155. Si tamen menstrua statis periodis adhuc profluant , ne adstringentibus supprimantur , tum sedulo videndum est .

§. 156. Pars ubi inflammatione laborat , repositio non est tentanda , nisi sedata inflammatione emollientibus topicis , clysteribus , sanguinis missione .

§. 157. Ut autem a prolapsu , qui facile iterum redit , mulier secura fit , laudatur zona , seu fascia , quae ad eum fere modum paratur , quo fasciae ad herniam parari solent . Sic enim munita , sine procidentiae periculo , & ambulare , & domestica munia exercere poterit .

§. 158. Haec , quae in vaginae prolapsu valent , ea quoque momentum habent in uteri procidentia , si forte , quod rarissimum est , uterus labatur , atque ad vulvae situm procedat .

### MENSTRUORUM DEFECTUS.

§. 159. Excretio per uterum sanguinis , quae singulis mensibus naturaliter fieri consuevit , fierius , aut parcus procedat , aut omnino supprimatur , menstruorum defectum adesse dicimus .

§. 160. Menstruorum haec interceptio fieri solet a mucosa lenta sanguinis cacoehymia . Languente enim cordis motu , & arteriarum , sanguis a debita soliditate recedens , iners fit , mu-

mucosa tenacitate immeabilis.

§. 161. Verum contingit quandoque, sanguinem bonum esse, & vitales vires satis validas; menstrua tamen supprimi, vel difficillime, vel parva copia excerni, quia vasorum extrema orificia, quae in uteri, vel vaginae cavum hiant, nimis resistant suae dilatationi.

*Schol.* Hoc virginibus familiare esse solet circa primam menstruorum eruptionem; in non-nullis autem emendatur hoc malum, dum singularis mensibus dilatata haec vascula magis cedere incipient; in quibusdam satis diu perseverat.

§. 162. Plerumque tamen in valde plethoricas observatur, sanguinem bonum esse, & vasa pervia; sed nimia plenitudine sic distendi vasa, ut in fluida contenta reagere nequeant; hinc sanguinis lento, simul & cordis vires suppri-muntur.

§. 163. Sed peculiares hos casus sequentibus signis aperiamus.

§. 164. Quando enim puellae frigida muco-sa cacochymia laborant, tum pallent, tument, & totius corporis habitus ad Leucophlegmatiam inclinat; pulsus alteriarum quoque debili-s est, & vires simul moventes débiles sunt.

§. 165. Si sanguis bonus sit. §. 161. 162., va-so-rum tamen menstrualium resistentia efficit men-struorum paucitatem, vel defectum; habitus corporis bonus est, molestus tamen circa os sacrum, & pubem, tormina abdominis, & quandoque etiam convulsiones torquent Virgi-nes,

## 86 SERIES II. MÖRBORUM

nes, in primis circa eruptionis tempus.

§. 166. Praesens tandem dignoscitur facile plethora vel ex praegressis causis, quae nimiam sanguinis copiam generant, vel ex rubore, calore, pulsu forti, pleno.

§. 167. Curatio semper infelix, vel difficilis, nisi per ea, quae speciatim causas suas §. 160.

161. 162. emendare possunt.

§. 168. Ubi enim ex mucosa lenta sanguinis cacochymia §. 160. mensium suppressio oratur; quae mobilem reddunt materiam, quaeque vires moventes instaurant, aptissima sunt.

§. 169. Quoniam vero per chalybeata augentur vasorum actio in fluida contenta, simulque frigidus sanguinis lensor superatur; his igitur praefidiis usque allaborandum, donec color vividus in corpore pallido renascatur, color aequabilis fiat, & menstrua iterum redeant.

§. 170. Ad haec: quoque frictiones valent, & corporis exercitia. His enim acceleratur sanguinis venosi motus cor versus; hinc cordis motus quoque excitatur; ergo velocior propulsio fiet per omnia vasa.

§. 171. Rursus: in decoctionibus ex dictamo cretica, cinnamomo, & sassafras sanitatis magna pars elucet. Horum quippe vis glutinosum omne & lentum dividit, & resolvit in corpore.

§. 172. Si sanguis bonus sit §. 161. 162., & vires vitales validae existant; tamen vasa liquidum excernendum transmittentia non satis pervia sunt, tunc per vapores, & balnea viæ

la

## PARTIUM GENITALIUM. 87

laxari debent. Foecundum coniugium item prodest, quoniam excusso foetu, & placenta, sanguinis copia fluit ab utero, sicque vasorum extrema disponuntur, ut menstruo sanguini deinceps prodituro facilius cedant.

§. 173. Tandem ubi a sanguinis copia §. 162.  
166., cordis vires, simulque lunares excretiones supprimuntur, per sanguinis missionem minuitur moles, cordi, arteriisque vires redeunt, & saepe etiam catamenia prodeunt.

§. 174. Sed frustra Medicus sanare tentat sequiorem sexum in mensium defectu per sola medicamenta, nisi ab aegris impetrare queat debitum quoque vitae genus. Hoc vero aliud Leucophlegmaticas, aliud plethoricas spectat.

§. 175. Pituitosae enim Cacochymiae convenient cibus sale, & aromate conditus. Vinum pro potu, cui meracius semper praferendum. Ex carnibus conceduntur gallinae, capones, columbae, aves mont., & sylvestr. A piscibus, & iusculis abstinentur, lacticiniis, legumin. &c. Aer vero serenus, tenuis, purus eligatur.

§. 176. Plethoricis vixtus, qui sanguinem minuat, concedendus, somnus parcior; longiori enim somno plus aggeritur, minus dissipatur; hinc plenitudo nascitur. Cum autem per discretos labores corpus exercetur, humores sensim absumuntur, & vasa sic firmantur, ut ad novam plethoram minime disponantur.

§. 177. Ex his vanitas appetet omnium specificorum, quae ad menses provocandos empyria laudat.

## 88 SERIES II. MORBORUM

§. 178. Nomen autem secreti, vel arcani a-pud rationales Medicos exosum, & incognitum est. Specificum enim fidum in morbo est morbi iudicium rectum.

§. 179. Simul autem patet, quam noxium, & praeposterum sit institutum illorum, qui debilibus, & leucophlegmaticis puellis repetitas sanguinis missiones, vel plethoricis virginibus chalybeata consulunt. Sic enim suppressio menstruorum semper augetur, aegrarumque vita certo periclitatur.

### IMMODERATUS SANGUINIS MENSTRUI FLUXUS.

§. 180. Priori malo adversus morbus immoderatum menstruorum profluvium est.

§. 181. Hoc autem triplici modo evenire, constat. Vel enim guttatum per uterinas vias frequenter excluditur, vel saepe nimis recurrat, vel statis periodis copiose admodum erumpit.

§. 182. Ut cumque res succedat, periculosa. Thesaurus enim vitae in sanguine est.

§. 183. Quia vero plurima vasa, & capaciora ad uterus; minora, & tenuiora ad vaginam excurrunt; hinc potius ex uteri vasis, quam vaginae, largiorem fluxum prorumpere puto.

§. 184. Num autem ex arteriis, vel solis venis? exquisite determinari non potest.

§. 185. Verum si guttatum accidat fluxus,

ex

## PARTIUM GENITALIUM. 89

**Ex exilioribus venis;** si ubertim , & impetu ,  
**ex arteriis eum deducere vellem .**

§. 186. Hinc in mensium profluvio sanguinis iactura periculosior ea est , & saepe lethalis , quae ex arteriosis vasis , vel majoribus venis pleno rivo emanat .

§. 187. Et quidem sanguinis mole plus aequo imminuta , vasa minus distenduntur , cum ex Michelotto sanguis in omni puncto arteriarum nititur iuxta lineas ad tangentes perpendicularares . Hinc cum ratio renixus solidorum in fluida sit proportionalis impellantium liquorum potentiae ; inde fit , ut imminuta sanguinis vi ob praegressas excretiones , solidorum renixus quoque minor subsequetur , minorque deinde fluidorum motus .

§. 188. Ex hoc pallor , debilitas , hydrops , convulsio , atrophia , hectica febris , placida anors .

§. 189. Verum , cum de nimio mensium fluxu agatur , iudicium ferri debet collatione habita ad priores periodos , ad victus rationem , praeferentim vero ad vires . Si enim citra noxam perdurent menses , critica erit eruptio . Si defidem vitam ducant mulieres , vel largiori vietui indulgeant , copiosa etiam eruptio non erit illico fistenda .

§. 190. Interea causae , quae nimium sanguinis fluxum movent , examinandae sunt .

§. 191. Saepius plethora adeo exuperat , ut vasa uteri non modo diducat , sed etiam disrumpat . Hoc ijs accidit , quibus menses diu sup.

90 SERIES II. MORBORUM

suppressi manent, nec non iis, quae abortum patiuntur.

§. 192. Ob partum quoque laboriosum, vel ob foetus magnitudinem, vel ob eius mutatum situm, dolorosa admodum succedit eiusdem exclusio. Hinc debilitantur vasa, tonumque naturalem amittunt.

§. 193. Persaepe vitiosa sanguinis diathesis immoderatum gignit menstruorum profluvium. Si enim sanguis valde tenuior, vel acrior sit per vasa uteri continuo stimulo affecta, & erosâ viam tandem sanguis sibi aperit.

§. 194. Igitur ad vasa uteri roboranda, vel ad sanguinem corrigendum curationis scopus debet dirigi.

§. 195. Dum sanguis quantitate peccat, maiori momento ad uterum profluere, in Physiologicis demonstratur. Venae sectio itaque praemittatur, & quidem in brachio. Nam sanguine diminuto, & uberior sursum ducto, vasa uteri minus distenta, in statum tonicum redeunt, sanguinemque coercent.

§. 196. Hippocrates ad menstruorum diminutionem, cucurbitulam quam maximam in mammis proponit. Optimus tamen ille Vir tamquam mirum experimentum, non curatio-  
nis loco hoc remedii genus tradit, ut scilicet magnum inter mammas, & uterum, consen-  
sum probet.

§. 197. In sanguinis vitiosa qualitate §. 193.  
lac per plures dies commendamus. Sic enim  
acrimonia corrigitur, roborantur vasa, & su-  
ma-

## PARTIUM GENITALIUM. 91

macies corpus occupet, nutritioni quoque succurritur.

§. 198. Quod si vasorum robur demissum sit §.  
192. adstringens corticis Simarroubae virtus perspecta est. Exhibitetur in decocto ad drachmas duas in aq. libr. duabus ad tertiam humiditatis consumptionem. Decocti huiusmodi in 4 doses divisi unam 3. quoque hora hauriat aegrotans.

§. 199. Traiectones item ex laudati corticis decoctione per syringam in vaginam immisae saluberrimum effectum praestant. Hae namque vascula immediate tangunt, eorum vim contractilem augent, liquidum inspissant, & fluxum sanguinis sistunt.

§. 200. Cathartica in sanguinis profluvio perniciosa sunt, ideoque proscribenda. Possunt tamen adhiberi mitiora, praesertim si venter stipticus, & cacochymia adfit. Seducta enim alvo, vitiosus humor eliminatur, & aliqua, qualiscumque sit, ab utero fit derivatio.

§. 201. Hinc Claudius Galenus a recta mendendi methodo certe aberrat, qui in menstruorum profluvio per urinas, perque alvum ducebat. Diuretica enim, vel purgantia, quae lotium, vel ventrem moyent, menses quoque promovere vim habent.

§. 202. In omni casu quies conductit ad sanguinis impetum infringendum. *Supina dormiat, & immota maneat*, ait Hipp. lib. 7. de morb. mulier. argum. 77.

FLW.

92 SERIES II. MORBORUM

FLUOR ALBUS.

§. 203. In sanguine sano adeat color ruber. Rubedinem autem acquirit sanguis satis valida vitae actione, quae si debilis fiat, sanguis minus ruber erit, & pallescens.

§. 204. Fieri autem potest, ut elaterem, & vim se se contrahendi amittant uteri vasa; unde qui per ea praeterfluunt humores, non recte subiguntur; lentescunt hinc, mutantur, & specie tandem laticis serosi unum modo colorem, modo alterum praferentis, ab utero emanant.

§. 205. Uterus ergo est pars affecta. Vagina enim, & uterus sunt substantiae mollis, & vasorum ramifications, ceteris paribus, sunt in maiori ratione prae magnitudine partis, in qua disseminantur. Quocirca huic morbo non minus, quam aliis calamitatibus obnoxius fit.

§. 206. Inter causas remotiores numerandus venit demissus primarum viarum tonus, quo mediante pravorum succorum ad sanguinem proventus fit, hinc aliorum organorum quoque laesiones ex recepta doctrina: *Ventriss torpor, omnium confusio.*

§. 207. Virgines a fluore albo haud immunes esse, in praxi observamus. Fernelius autem puellam 7. annorum hoc morbo laborantem novit. Idem refert Rodericus a Castro. Nostra non refert super huiusmodi historiis caliculum, & crisim adiicere.

§. 208. Frequentius autem invadit mulieres  
ae.

## PARTIUM GENITALIUM. 93

aetatis consilientis , & eas potissimum , quibus usus veneris interdicitur , aut quibus connubium prohibetur .

§. 209. In nonnullis tamen lunares excretiones praecedunt , modo comitatur , modo subsequitur , quin menstruorum loco fluor albus quandoque succedit .

§. 210. Hinc per eadem vasorum oscula tam menstruus sanguis , quam mucidae materiae fluxus erumpit , id confirmante Severino Pinaeo lib. 1. problem. 3. de not. Virgin.

§. 211. Plurimum vero spectat affectum hunc ab aliis similibus rite discernere .

§. 212. A menstruis decoloribus distinguimus album fluxum . Hic siquidem sine ordine fertur ; illa exakte periodum suam servant . Rursus a gonorrhoea ; hujus enim ortus ab impuro contagio est .

§. 213. Neque vitae periculum infert , neque adeo molestum , si recens , si moderatus sit .

§. 214. Verum si diuturnus , si foetidus , si alios graviores morbos sequatur , inter medicorum scandala uterinus hic fluor referendus est .

§. 215. Animum idcirco intendere debet Medicus , ut causam paulo accuratius inquirat , monente Baglivo : *qui bene iudicat , bene curat.*

§. 216. Serio itaque videndum , an ventriculus imbecillitate laboret , vel sordibus excrementitiis oneretur . Nisi enim primarum viarum

## 94 SERIES II. MORBORUM

rum tonus restituatur , frustranea erunt , quae ad sanguinem depurandum , vel delendum morbum commendantur .

§. 217. Inter peritiores artis nostrae antistites , unicum allegare sufficiat Riverium . Faretur hic , se frustra tentatis aliis remediis , in ptisana laxante certum , ac fidum medicamen invenisse , eaque sola per mensem usurpata , mulierem diuturno fluore albo laborantem curasse .

§. 218. Expurgatis primis , secundisque viis ubi totum humorem massam puriorem , vel fluidiorem reddere convenit , lactis usus eminet , eumque pluribus in locis commendat fulgentissimum illud Graeciae lumen Hippocrates . Optimum enim hoc est , inquit , nam  $\sigma$  purgatur ,  $\sigma$  nutritur ,  $\sigma$  fluxus retunditur . ab hujusmodi lacte . de morb . mulier . arg . 14 .

§. 219. Verum Galenus in uteri profluvio diureticis utebatur . Sibi enim persuasum erat ea , quae per uterum fluebant . vel per urinam vel per alvum derivanda esse . Hinc Boethi nobilissimam uxorem decocto asari , & apii in aqua communi , intra 13. dierum spatiū curratam fuisse , nullo prorsus vestigio morbi relieto , quin tranfacto integro mense , colorem & pristinum naturalem habitum recuperasse scribit lib . de praecogn . ad Posthum . c . 18 .

§. 220. Interim Romana haec mulier tumorem in utero gerebat , & morbus fieri in dies deterior videbatur . Improvisa tamen copiosae aquae ex partibus excretio , ut ipse refert , ventris

## PARTIUM GENITALIUM. 95

tris statim tumorem delevit.

§. 221. Ad hydropem ergo uteri magis, quam ad album eius profluvium referendus morbus erat. Galenus tamen laudandus, qui aquam in utero iam detectam, per uterum diureticis tum derivabat, ideoque quatringentis aureis dignissimus erat.

§. 222. Externe ad noxam uteri corrigen-dam, decoctum myrti, nec non folior. hederae & lauri Coorum Aesculapius commendabat. *Myrti, O lauri folia, O hederae in aqua coquito, O cum hac tepida colluito:* De morb. mulier. arg. 73. Porro omne salubritatis punctum attingunt simplicia haec; uteri enim fordes leviter abstergunt, humores lento dividunt, tonumque partibus reddunt, ex Botanicorum effato.

§. 223. Nihil tamen praestantius forte ex-cogitari potest, quam pillularum Becheri usus. quarum formulam ad hunc num. in 2.summar. damus.

*Schol.* Recens enim hic Neapolii fistit casus mulieris melancholici temperamenti, quae per dimidium fere annum copioso muci albi fluxu corripiebatur; menstrua defecerant, languebat appetitus, horror febrilis circa vesperam invadebat, & lassitudo artus omnes occupabat. Aliis frustra adhibitis ad expugnandum malum pillulas demum, duas singulo mane, ad Becheri mentem praescripsimus. Jam sanitatem, & menstruorum fluxum recuperasse scimus. An autem diaetae beneficio, an vi remedii id con-

96 SERIES II. MORBORUM

contigerit, adhuc usque ignoramus.

§. 224. De fonticulis dubitatur sub genuibus, vel tibiae admovendis. Damnant nonnulli. Cum enim humores attrahant ad inferiora, fluorem istum augere possunt. Alii commendant quodd inutilis materiae portio educatur per emissaria. Sed utrimque vulgares conjecturae. Mihi tutius videretur, si ab illis omnino declinemus.

§. 225. Adstringentibus improvide tractatus morbus, perniciosior fit. Videndum hinc, ne tantum proficiamus ex una ad fistendum fluxum, quantum noceamus ex altera parte ad deiiciendas aegrotas.

§. 226. Nihil aequa fluorem hunc deteriorem reddit, quam remediorum crebra mutatio. Haec enim ignorantiam Medici arguit, perniciemque aegris inducit. *Pauca sunt, quae medicum nobilitant*, si Hippocratem audiamus.

§. 227. Pauco etiam victu, tenui, & eupepto in fluore albo opus est. Risum enim excitare nobis solent nonnullae, quae fervidas in Templis preces effundunt ad sanitatem impertrandam; domum tamen reversae lautas abdomini epulas vovent.

§. 228. Acida, cruda, farinacea, pinguia, leguminosa &c. omnimode fugienda. At curae longitudo aegrotantibus fastidium parit, & cum imminens periculum eas non terreat, raro obsequentes feminae diaetae leges substinent. Altiores interim in corpore radices figit morbus, summumque medentibus laborem parit.

§. 229.

§. 229. Ad haec respiciens , saepe cum ae-  
gris meis sic conqueri soleo . *Qui vivunt pro  
ut volunt, curari debent pro ut possunt.*

UTERI HYDROPS.

§. 230. Uterinum hydropem alii difficilem,  
vel nullo modo dari posse contendunt alii . Cum  
enim os uteri , tempore graviditatis excepto,  
satis pateat , necesse est , aquam sui copia , vel  
mala qualitate illum stimulare ; quo sit , ut fa-  
cilem , & assiduum exitum sibi quaerat .

§. 231. Verum si disputatione transfigenda  
res sit , ecquod medicum dogma comminisci  
licet , quod non ex praeconceptis opinionibus  
redargui , ac refelli possit ? Ego vero optima  
ratione dictum censeo , quod diurna , & se-  
dula obseratio approbat , & confirmat .

§. 232. Exemplum enim habetur apud Fer-  
nelium mulieris , quae statim temporibus aquae  
colluviem ex utero profundebat .

§. 233. Schenchius aliam memorat , quae a  
partu foetus vivi ventris tumorem retinuit ,  
qui lapsu temporis increscens aegrotanti vitam  
fustulit . Cadavere autem inciso , ingentem a-  
quaem copiam in utero intvenit .

§. 234. Hippocrates uteri hydropem , & si-  
gna satis concinne describens , ait . *Si aqua in-  
tercus in uteris nascitur , menses pauciores ,  
O pravi fiunt , O ante tempus deficiunt , O  
imus venter intumescit , O mammae solidae  
molles fiunt , O lac malum , O putat se in*

98 SERIES II. MORBORUM

*ventre habere, & ex iis cognosces, quod a qua inter cutem est.*

§. 235. Recentiores vero eadem signa colligunt, quae modo ad Hippocrate tradita sunt. Sed haec fallunt etiam peritissimos, ac ipsos Medicinae principes. Ex iis enim quid praeter naturam in utero, quam hydropem, vix conciucere licet.

§. 236. In praxi tamen notatur, affectum hunc plerumque flaccidam habere, & mollem abdominis partem.

*Schol.* Memoratu enim iterum digna est historia, §. 219. quam Galenus de uxore Boethi prodidit. Tumorem haec utero gerebat, qualis qualis utero gerentibus appareat. Verum vix balneum ingressa, vehementissimis doloribus correpta est; aqueum deinde humorem adeo copiosum excrevit, ut animo deficeret. Haec noctu secum animo revolvens Galenus, in mentem venit, se in muliere illa insignem prius circa hypochondria mollitiem deprehendisse.

§. 237. Sed ad morbi causas periscrutandas festinemus.

§. 238. Quoniam per uteri vasa, ejusque partium adnexarum spermatica vasa, quae admodum implicita, & contorta sunt, difficilior & valde tardus est sanguinis regressus, copiosae hinc seri collectiones fiunt, & tumores aquosif. Nunquam enim promptius fecedit a sanguine fluidior, & serosa pars, quam ubi lentior est circulationis motus. Maiores quippe venae deplentur, & minores lymphaticae, quae ex ma-

io-

## PARTIUM GENITALIUM. . 99

iōribus venis lympham arteriis exhalantibus expulsam resorbere debebant , cum depleri non possint in maiores venas nimis plenas , hinc incipit turgere tunica cellulosa aquosis humoribus. Haec vero si a longiori decubitu , & affluxu lymphae sensim distendatur , magnas in vesicas tandem explicatur.

§. 239. Harum hydatidum , quae in utero , immo in ovario , & tubis Fallopii inventae sunt , perhibent Salmuthus , Pechlinus , & Sydenhamus , quorum observationes afferre supervacaneum est , & satis molestum .

*Schol.* Ne pigeat tamen sequentem historiam attexere . Confilium meum extincti nuper iucundissimi amici rogabat uxor , annum supra quinquagesimum agens . Ab adolescentia haec inordinatam semper habuit uteri expurgationem . Successu vero temporis sanguis plane nullus , indeque ipsius loco mucidae lymphae quotidiana excretio erat . Duobus tamen ab hinc annis etiam vesiculos aqua subflava repletas per uterus continuo excernit , ut aptius de se ipsa , quam de calculis suis ioco efferre poterat Erasmus . *Feminae ob aetatem sterilescunt , me autem senectus faecundiorem effecit , nam in die crebrius parturio .*

§. 240. Ex his igitur refelli sine pertinacia finant ii , qui hydropem uteri velut figmentum obiiciebant §. 230. Non enim in uteri cavo , sed in uteri minoribus vasculis colligitur lympha , quae tunc exitum sibi parat , cum distentae vesiculae tandem disruptantur .

100 SERIES II. MORBORUM

§. 241. Nil interim ad progignendum hoc malum conspirat , quam mensium suppressio , & lochiorum , vel praepostera imperitorum curationis , dum immodicas sanguinis , aliorumque humorum excretiones adstringentibus subito , ac opiatis fistunt .

§. 242. Cachexiam , sive malum habitum , proximum esse gradum ad hydropem non solum uteri , sed aliarum partium , agnovit Areataeus , ipsaque experientia optima rerum magistra in dies confirmat .

§. 243. Solvitur interdum citra artem , solius naturae molimine hydrops uteri , cum fibi viam , & exitum per vesicularum ruptionem pandat .

§. 244. Sed ex Cachexia , vel utero male affecto dependens , vel aliorum viscerum labefactio totius corporis ruina tum impendet . Viscus enim quo nobilis , eo gravius metuendum malum .

§. 245. Quoad rectam , & tutam medendi methodum pertinet , haec unice causis morborum avertendis debet esse subnixa .

§. 246. Jam vero uterinum hydropem causare apta est menstruorum , vel lochiorum silens critica eruptio §. 241.

§. 247. Quare curationis scopo sanguini in utero congesto aequabilis , ac liber per eius vasa progressus coadiuvetur .

§. 248. Cum autem suppressio morbosa fit , vel quia materies excernenda non satis mobilis , & fluida est , ut exire possit §. 160. ; vel quia

## PARTIUM GENITALIUM. 101

quia vasa transmittentia liquidum excernendum non satis pervia sunt §. 161.; vel quia vis movens materiam per vasa nimis iners est §. 162.; triplex inde indicatio curatoria intelligitur, quae vel materiam excernendam spectat; vel vasa, per quae excretio haec fieri debet; vel denique vires, quae humores per vasa movent.

§. 249. Cachexiae medelam praebent, quae minimos viscerum infarctos tubulos referant; quae vitiosi feri, primarumque viarum respi- ciunt curationem.

§. 250. At neque balnea, praesertim ex aquis thermalibus, neque diuretica medicamenta, quae ex apii, & asari decocto parantur, praetermittenda sunt. Cacochymiam enim pituitosam, vel serosam dividunt, dissipant, sudores eliciendo, vel urinas subducendo.

§. 251. Haec, quae hactenus protulimus ad explendam curationem satis apta, ac tutiora videntur. Sed ubi haec non proficiunt obscuro ceteroquin morbo, satius tunc erit mentem a temerariis, & coecis tentaminibus avocare. *Utilitate enim hominum quid potest esse homini praestantius?*

102 SERIES III. MORBORUM  
SERIES III.

DE MORBIS, QUI PRAECIPUE GENITALIUM VIRORUM ORGANNA INVADUNT.

TESTIUM TUMOR.

§. 252. Testium substantia cum tota vasculosa sit §. 9. 104. hinc si sanguis, vel lympha in vasculis sanguineis, vel lymphaticis motu suo impediatur, tumor fit.

§. 253. Signa sunt, ut in aliis tumoribus, calor, rubedo, dolor &c.

§. 254. Causae cum iis, quae inflammacionem progignere valent, communes recensentur: quidquid scilicet crux cogit, ut coeat, quidquid premendo, contundendo, crispando vasorum fines ita arctat, ut diameter illorum minor fiat sphaerae sanguinis diametro.

§. 255. Testes in lue venerea affici diximus §. 21. 27. Quin immo casum refert Paulinus fabri ferrarii, qui cum impurum concubitum cum menstruante puella habuisset, altero die maximo dextri testiculi tumore correptus fuit, cum saevissima inflammatione, febri, & femoris simul tumore.

§. 256. A quacumque autem causa fiat testium tumor, serio cavendum, ne in abscessum, vel scirrum, aliosque morbos detiores transfeat.

§. 257. Hinc si a sanguinis quantitate oriantur

tur tumor, vietus sit tenuis, sanguis cito mitendus, praesertim si dolor magnus, & febris sit.

§. 258. Si aquosa sit hernia, diuretica convenient. Si alterius speciei sit tumor, opus Chirurgi committendum. At si a morbo venereo fiat, antivenereis curatur.

§. 259. In testium inflammatione oleosa, unguentacea vitentur. Cataplasma enim ex malva, farina fabarum, & oxymelle simplici confectum, partique applicatum, omnem paginam implet.

### LIPODERMUS.

§. 260. Alias defectus cutis praeputii, quia affectus hic est, quando praeputium deest ex morbo, vel sectione, vel alia causa, ut glandem amplius tegere nequeat.

§. 261. Oritur ergo Lipodermus ex absencia cutis glandem investientis, vel quia haec in prima faetus formatione non fuerit elaborata, vel quia abscissa sit sine religionis gratia (ut in circumcisione Judaeis est solemne) sine manu Chirurgi ob partis corruptae recisionem, vel quia in ulceribus venereis a particulis erodentibus fuerit absurta, ut glans operimento suo destituatur.

§. 262. Ideoque iuxta causarum varietatem varia indicationum genera eruuntur.

§. 263. In Lipodermo, ex Celsi monitu, glandem nudam facilius obtagi posse promittimus,

si aeger adhuc puer sit, ob facilem cutis distensionem.

§. 264. A praecisione factus, vel corrosione veneni gallici corrigi nequit Lipodermus.

§. 265. Si vero a convulsione, vel glandis tumore, fotum commendo ex malva, vel cataplasma fabar., floribus sambuc., meliloti &c.

### PHIMOSIS.

§. 266. Est quando praeputio ita fortiter obtegitur glans, ut illud reduci nequeat.

§. 267. Aspectu ipso dignoscitur; quippe ita firmiter glans praeputio tegitur, ut retrahi nequeat; urinae effluvium parvum, vel cum dolore fiet, & maximo conatu.

§. 268. Oritur ex mala foetus conformatio-ne, quum cutis penem, & glandem investiens adeo prolixa, & glandi adnexa sit, ut glans nunquam, nisi praemissa medela, denudari possit.

§. 269. Item ex mala ulcerum curatione, quum cutis glandi exulceratae per cicatricem adhaereat, & inter consolidandum firmiter adnascatur.

§. 270. Praecipuam alii phimosis causam repetunt ab incauto cum impuris feminis concubitu. Dum enim virulenta materia cutem inter, & glandem remanet, abesse vix potest, quin summa illa cutis, praecipue si paulo longior, & angustior fuerit, graviter ex inflammatione intumeat, noxasque hactenus memoratas concitet.

§. 271.

§. 271. Si malum hoc sine venerea labe fiat, colem balneando satis in aqua calida curatur, vel saepius humectando aqua malvae cum mellis portione.

§. 272. Si gravior inflammatio subeat, sanguinem per venas mittere opus est.

§. 273. Ubi vero hisce levioribus morbus non cedit remediis, reliquum est, ut a ferro sanitatis praesidia repetantur. Crudelem enim medicum necessitas facit.

### PARAPHIMOSIS.

§. 274. Si praeputium ita per se curvum, vel & iuxta glandem, aut nimis constrictum, aut tumefactum, ut super illam reduci prorsus nequeat, paraphimosis fit.

§. 275. Oritur ab inflammatione penis, in qua cute retro-abducta glans intumescit, nec praeputium amplius admittit. Vel a convulsione, qua cutis ita contrahitur, ut non decenter deduci, nec glandem tegere valeat.

§. 276. Huic morbo ceteris obnoxii ii sunt, qui complexu venereo nimium vehementi feminis se se iungunt, virginibus praesertim, atque illis, quae paulo angustiori vagina sunt instructae.

§. 277. Paraphimoseos curatio eo potissimum spectat, ut reducto praeputio glans nuda iterum contegatur. Hoc enim facto dolores una cum noxis reliquis se se remittunt.

§. 278. Interim quia gravis inflammatio ple-

plerumque penis partem simul infestat, quae restitucionem difficilem, immo saepe impossibilem reddit, nihil abs re operabitur, emollientibus fomentis curationem aggredi, misio simul sanguine. Reliqua, si necessitas premat, Chirurgis committendum.

### PRIAPISMUS, ET SATYRIASIS.

§. 279. Priapismus est invita membra erectio, in qua penis quasi tetano afficitur, totusque rigidus cum dolore manet citra rei venereae appetitum.

§. 280. Satyriasis vero est, quando penis libidinose distenditur, & palpitat cum stimulo ad coitum frequentiori quam alias fieri solebat.

§. 281. In Priapismo penis tensio non remittit etiam peracto coitu, ut in Satyriasi accedit, in qua mox nova erectio, eaque saepius subsequitur.

§. 282. Uterque affectus licet easdem habeat causas, ac convulsio; frequentius tamen accedit ob copiosorem succi nervei afluxum, vel fanguinis. Idcirco iis remediis curatur, quae vasa deplent, & spasmos sedant.

§. 283. Helmontius oleum ruthae extollit peni frequentius illitum. Willisius fotus, cataplasma, atque in tumoribus usitata adhibere praecipit. Commandant ceteri fotum ex lacte, in quo rutha, & semen agni casti incocta fuerint. Verum inesse in rutha, & agno

casto praesidium servandae castitatis, & tentiginis venereae compescendae, Galeno, (a) & Aristoteli (b) credendum relinquamus.

PENIS CONTORSIO, ET FLACCIDITAS.

§. 284. Erecto pene, naturaliter hic in figura recta libidinose distenditur. Curvam hinc, vel vitiatam aliam figuram ostendens, contortus, vel aliter depravatus conspicitur.

§. 285. Depravatur saepe penis erectio, vel fraeni, vel praeputii vitio, quando non rite potest erigi, vel extendi membrana. Fraenum quod attinet, si nimis breve sit, tenditur penis, & glans retrahitur.

§. 286. Hoc ergo curatur Chirurgia, ubi fraenum incisione simplici feliciter secatur, Hindando referente centur. 9.

§. 287. Penis flacciditas, seu defectus erectionis pendet a vitio instrumenti erigentis, muscularum nempe resolutione, quae senio, vel morbo confectis admodum familiaris est.

§. 288. Item terror, & diurna melancholia interdum, immo saepius erectionem quoque prohibent, vel factam tollunt. Rursus imaginatio pudibunda, qua interdum evenit, ut noviter nupti se maleficiatos putent. Sed discussio pudore res alacrius succedit.

§. 289. Balnea nervina, fatus, inunctiones  
pe-

(a) *Lib. 6. simplic.*

(b) *Section. 20.*

## 108 SERIES III. MORBORUM

perinaeo, radici penis, & scroto contra penis paralyfim commendantur. Omnium tamen pal-  
mam subripit succus pastinac. cum ol. finap.,  
& ovis formic. contusis, si fides Hadriano A-  
mynsicht (a) habenda fit. Sed promissis uti-  
nam vota responderent! Semel enim amissa, ob-  
senium praeſertim, penis erectione, aegris ta-  
men quovis pretio redimere eam volentibus,  
flaccidus manet.



### S U M M A R I U M

#### FORMULARUM PRO MORBIS PARTIUM GENITALIUM

##### IN GONORRHAEA

###### Ad §. 41.

2*f* Semin. quat. frigid. major. unc. i. papav.  
alb. drach.  $\frac{1}{2}$  Semin. agn. cast. drachm. i. contund.,  
*G* f. emuls. in aq. nymph. unc. v. Add.  
fir. rosar. incompl. unc. i  $\frac{1}{2}$ , nitr. purific.  
drach.  $\frac{1}{2}$  m. cap. sero.

###### Ad §. 43.

2*f* Radic. Vincentox. , *G* pimpinell. ana  
unc.  $\frac{1}{2}$   
Cardamom., *G* Rhabarb. ana drach. iii., tart.  
crud.

(a) Armament. Medico-chymic,

*crud. unc. & f. infus. in vin. alb. lib. i.*

Ad §. 57.

2*f. aqu. plantag., & spermat ran.*

*ana unc. ii.*

*tut. pp. scrup. iv., mell. rosat. unc. i & m.*

Vel

2*f. therebinth. Venet. drach. ii., mucilag. sem. cydon. unc. i. dissol. cum sero lact., aq. plantag. ana unc. vi. m. pro iniect.*

Si autem dolor magnus fit, ad eum leniendum ita immutatur.

2*f. Aq. ros., plantag., spermat. ranar. ana unc. ii.*

*Sirup. alth. F. unc. j., albuni. unius ovi, ol. ros. unc. ii. agitentur probe pro iniect.*

Ad §. 81.

2*f. Sals. parill. libr. ii.*

*Senn. Orient. elect.*

*Flor. borrag. sicc.*

*Flor. ros. alb.*

*Anysor. dulc. ana unc. ii.*

*Mell. opt. lib. ii.*

*Sacchar. lib. ii. f. t. a. sirup.*

Modus confic. Sirup. Salsaparill. hic est.

*Sals. parill. minut. jact. lib. ii. in aq. commun. q. s. f. infus. per horas 2*4*. Bulliant deind. in oll. recent. ignitis carbon. ad 3.*

H

part.

*part. consumpt., saepe agitando, & despumand. decoctum cum lign. cochlear. novo. Tum add. flor. borrag., ros., senn., anys., iterumque ebull. ad alter. 3. partis evaporationem. Tecta demum olla, & aliquantulum refrigerato decocto, per pann. lineum colet., & fortis express. f. Huic colat. add. mell. opt. & sacch. ana lib. ii, & f. sirup.*

### I N F L U X U A L B O

#### Pillulae reformat. Becheri.

Ad §. 223.

24 Aloes rosat. hellebor.

Extract. gentian.

Centaur. min.

Absynth. ana drach.  $\frac{1}{2}$ .

Croc. g. XV.

Castor. ver. g. VI.

Spirit. therebinth. g. iii. cum sir. de arthem.  
f. pill.

IN.

# INDEX

## MORBORUM PARTIUM GENITALIUM.

### SERIES I.

De his, qui utriusque sexui communes sunt.

<i>Gonorrhœa.</i>	pag. 58.
<i>Sterilitas.</i>	73.

### SERIES II.

De morbis, qui genitalia mulierum spectant.

<i>Clitoridis excrescentia.</i>	78.
<i>Vaginae prolapſus.</i>	81.
<i>Menſtruorum defectus.</i>	84.
<i>Immoderatus ſanguinis menstrui fluxus.</i>	88.
<i>Fluor albus.</i>	92
<i>Uteri hydrops.</i>	97.

## S E R I E S III.

De morbis, qui praecipue genitalium  
Virorum organa invadunt.

<i>Testium tumor</i>	102
<i>Lipodermus</i>	103
<i>Phimosis</i>	104
<i>Paraphimosis</i>	105
<i>Priapismus, et Satyriasis</i>	106
<i>Penis contorsio, ♂ flacciditas.</i>	107

F I N I S.

*Dominus D. Aloysius Visone Physices Doctor re-  
videat, & in scriptis referat. Datum die 4. Januar-  
ii 1764.*

I. EPISC. PHILADEL. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN.DEP.

**P**raestantissimi Viri Leonarthi Frontonii Opuscu-  
lum ; cuius inscriptio : *Series morborum cutaneo-  
rum partiumque genitalium*, E. V. mandatis obtem-  
peraturus, intensissime perlustravi. In eo nihil de-  
prehendi, quod vel bonis moribus, aut Catholicae  
Fidei aduersetur : immo quamplurima scitu digna,  
& adolescentibus Medicinae studiosis perutilia. Qua-  
propter typorum luce dignissimum reputo, ubi ve-  
stra amplissima acceſſerit authoritas. Dabam Nea-  
poli tertio Idus Januarii. Epochæ Christianæ anno  
sexagesimo quarto supra millesimum septingentesi-  
num.

*Obſequentijs., & addictiſſ. famulus  
Aloysius Visone.*

*Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur.  
Datum die 17. Januarii 1764.*

I. EPISC. PHILADEL. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN.DEP.

*Magnificus Doctor Physicus D. Dominicus Pedillus in hac Regia Studiorum Universitate Professor re-  
videat, & in scriptis referat. Datum Neapoli die  
4. mensis Februarii 1763.*

**NICOLAUS DE ROSA EP. PUTEOL. C. M.**

**ILLUSTRISS. AC REVEREND. PRAESUL.**

**T**E jubente Ill. Praesul legi librum, cui titulus : *Serries morborum cutaneorum, partiumque genitalium*, auctore Leonharto Frontonio Medico Neapolitano, in quo ex punctis aliquot, quae in prima editione minus decore dicta sunt, nil restat Regiiis publicisque iuribus obsonum : idcirco illum imprimi posse censeo, si tua auctoritas accesserit. Neapoli Kal. Novembris 1763.

*Addictiss. & obsequentiss. famulus  
Dominicus Pedillo Reg. Professor.*